This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

62/a

FACULTATEA DE DREPT
SEMINARUL DE FILOSOFIA DREPTULUI ŞI SOCIOLOGIE
CLUJ

Solomon R. Baker
Book Fund

Made possible
by a gift
to the
Stanford
University
Libraries

Inscriptus Bibliothecae
Archigymnasii M. Varad
[illegible] 1778.
No. 120

NOTITIA
RERUM
HUNGARICARUM.

NOTITIA
RÆRUM
HUNGARICARUM.

CONSCRIPTA
A FRANCISCO CAROLO PALMA.
NUNC
CÆSAREO REGIO AULICO
CAPELLANO.
SS. THEOLOG. IN ACADEMIA VIENNENSI
BACCALAUREO
PROTONOTARIO APOSTOLICO,

EDITIO ALTERA,
AB AUCTORE RECOGNITA
ET AUCTA.

PARS PRIMA.

TYRNAVIÆ,

RECUSA ANNO MDCCLXXXV.

L. G

DB 134
[illegible]
1975
v. 1

SERENISSIMO

PRINCIPI

ALBERTO

AUGUSTO

REGIO *POLONIÆ* PRINCIPI,

SAXONIÆ ET TESCHINÆ

DUCI,

&cet.

PER HUNGARIAM

LOCUMTENENTI

REGIO.

SERENISSIME

DUX REGIE.

Singulare idemque publicum TUÆ *in rem literariam propenſionis argumentum præbes* DUX SERENISSIME! *cum clementer pateris, ut* NOTITIA RERUM HUNGARICARUM, *quam ſecundis meis curis emendatam auctamque Tyrnavienſes in lucem edunt*, SE-

RENISSIMUM *Nomen* TUUM *in fronte præferat.*

Pluribus quidem opus hoc SERENITATI TUÆ REGIÆ *debebatur titulis: poſtquam enim &* TUA *voluntate, & AUG. DOMINÆ noſtræ gratia, Cæſ. Reg. Aul. Capellanorum numero adlectus*, SERENISSIMÆ *Aulæ* TUÆ *obſequiis addictus fui, in elimanda novisque ac perutilibus notitiis locupletanda Hiſtoria mea, egregie me uſum adjutumque fateor codicibus Bibliothecæ*

TUÆ,

TUÆ, *quam pro* TUO *in literas ſtudio, inſigni cum delectu collegiſti, magnisque in quovis literaturæ genere in dies augere non deſinis acceſſionibus. Hic tu reliquo a Reipublicæ negotiis tempore erudito vacare otio in delitiis habes: quo adminiculo, quam multiplicem eamque ſolidam* TIBI *compararis eruditionem & ſingularis animi tui moderatio, & juſſa tua vetant hic commemorare.*

Quanquam & ipſum Operis mei argumentum ad te potiſſimum attinet: complectitur enim res pluribus ſeculis ad noſtram usque ætatem geſtas in Hungaria, cui TU *pro* AUG. MARIA THERESIA *Apoſt. Hung. Regina LOCUMTENENTIS REGII titulo & poteſtate præes: qua in dignitate ea fidei, ſapientiæ, clementiæ, & æquitatis laude pluribus jam annis verſaris, ut non modo neminem ex Hungaris diuturni præſidii* TUI *ſatietas ceperit; verum potius nil æque in*

votis

votis habeant, *atque* SERENITATEM TUAM REGIAM *quam diutiſſime apud ſe retinere: quæ ſincera gentis hujus in te ſtudia pretioſiſſimi inſtar pignoris eſſe* TIBI *debent*, *quo pro curis*, *quas ejusdem felicitatis promovendæ cauſa benigne toleras*, *ſuam tibi gratitudinem teſtantur.*

Quæ cum ita ſint, *minime dubitandum eſt*, *Operi huic novum apud populares pretium a* SERENISSIMI, *eisdemque gratiſſimi Nominis* TUI *auſpi-*

ſpiciis conciliatum iri. Ego vero ſingularis hujus in me favoris & gratiæ memoriam non prius; quam cum vita ponam

SERENITATI TUÆ
REGIÆ

Devotiſſimus
F. C. P.

TYPOGRAPHUS

LECTORI SALUTEM.

UT plurimorum votis faceremus ſatis, alteram NOTITIÆ RERUM HUNGARICARUM *editionem Tribus pariter Tomulis comprehenſam adornare coacti ſumus, poſtquam primæ editionis Exempla pene omnia divendita. De Operis præſtantia atque utilitate non eſt cur multa diſſeramus; communis illa domi foriſque, quam Auctor a perſpicuitate, ordine, ſcribendique modeſtia conſecutus fuit, approbatio ſatis ſuperque loquuntur: qui plura de hoc aliiſque ejus Operibus ſcire cupit, adeat Diarium Vien-*

nenſe anni hujus Numero 30. & 31. Ubi ſingula non ſine inſigni Auctoris commendatione recenſentur. Id ſolum Lectorem in limine monitum voluimus, in altera hac editione nonnulla correcta; multa vero ſuis locis inſerta eſſe, præſertim de Juribus S. Coronæ Hungaricæ in ſubjectas olim provincias, quæ in prima editione deſiderantur: ut adeo multis partibus altera hac editio primæ anteferenda ſit. Hæc ſignificanda erant: tu Lector noſtris ad res Patrias illuſtrandas conatibus utere & vale.

NO-

NOBILIBUS

CONVICTUS REGII

ARCHI-EPISCOPALIS

SALUTEM.

QUam veſtra potiſſimum cauſa ſubciſivis a munere meo horis in compendium retuleram Rerum Hungaricarum Notitiam; ne incenſa, quibus id a me poſtulaſtis, vota diutius morer, publici nunc demum juris facio. Quid enim vobis negare auſim? quos pluribus jam annis præclara animi conten-

tione ad literarum bonarumqve artium, & quod principem tenet locum, Chriſtianarum virtutum ſtudia non tam ferri, quam rapi quotidie non ſine voluptate intueor. Quod ſi eximii hujus operis, cujus tam ſolida nunc jacitis fundamenta, molem jugi deinceps conatu altius provectum ire ſatagetis, fiet profecto; ut Auguſtæ MARIÆ THERESIÆ, Reginæ noſtræ Apoſtolicæ, quæ ædes has, quas incolitis, ſuis e ruinis poſtliminio reſtitutas, ad hanc evexit magnificentiam, ad omnem commoditatem inſtruxit; ut, inquam, hujus non tam populorum ſuorum DOMINÆ, quam MATRIS pientiſſimæ ardentiſſimis, quos quaſi ceterarum oblita curarum porrigit, conatibus atque deſideriis quam cumulatiſſime reſpondeatis; Religio, autem & Patria jucundius olim ſentiant grandia in vobis ſibi ſuccreviſſe columina.

Quem in finem quoniam ceterarum bonarum artium, atque diſciplinarum adjumenta omnia affatim vobis ſuppeditare: Hi-

ſtoriæ

ſtoriæ autem Patriæ condiſcendæ opportunitatem, deeſſe cernerem ; ad hanc ſtudioſius procurandam adjeci animum : idque propterea ; quod Patriarum rerum cognitionem cum omni hominum generi ætative jucundam, atque perutilem ; tum vero Nobilibus prorſus neceſſariam ſemper exiſtimavi : quia non tam ſibi, quam tractandis olim reipublicæ negotiis nati ſint. Ut enim ad ea recte ſapienterque adminiſtranda præter virtutis, literarumque adminicula excelſo quodam animo, incredibilique conſilii vi præditum accedere oportet ; ita etiam rerum præteritarum cognitione egregie inſtructum, atque haud ſcio, an aliquid hoc magis eo pertineat. Qui enim probe ſibi cognitum perſpectumque habet, quibus olim adjumentis pace bellove creverit, ac ad ſummum humanæ potentiæ faſtigium educta ſit Regni Hungarici Majeſtas : quibus item impulſa machinis, non longe interdum diſtabat a lapſu, perfacile intelliget ; quid cumprimis agere cavereque deceat etiam privatum quemvis civem, cui vera univerſæ Patriæ commoda

moda atque ornamenta cordi ſunt, noveritque perbene, rerum temporumve rationibus ſua accommodare conſilia.

Neque ea hic prætereunda Hiſtoriæ utilitas, ad quam vos diligentius advertere velim, quod ut probi ſemper improbis immixti eſſe ſolent, viſis Majorum virtutibus aut vitiis, pulcherrimæ vobis quaſi aliud agentibus occurrent morum præceptiones. Certe ut rerum viciſſitudine; ita optimorum domi bellique exemplorum varietate Hungariæ Hiſtoria nulli eſt ſecunda; ac virtutes quidem: ut ſunt ſincera in DEUM Religio, intemerata adverſus Regem fides, Caritas in Patriam, aliæque id genus etiam ſanguine interdum generoſe profuſo ſignatæ a magnis illis Heroibus Patribus veſtris velut nobiliſſima hæreditatis portio ad vos transmiſſæ ſunt, non alio certe fine; atque ut easdem ſolerti imitatione exprimere, eorumque, a quibus opes ornamentaque liberaliter accepiſtis, ſimiles evadere ſtudeatis.

At-

Atque hæ tot tantæque cum Hiſtoriæ Patriæ inſint utilitates, erit fortaſſe aliquis, qui hanc meam tot auctorum monumenta in anguſtum cogendi carpat diligentiam, ſupervacaneum arbitratus, in tanta Hiſtoriæ Scriptorum copia compendia juventuti diſcenda proponere. Verum „ ut taceam anguſtiorem multis rem eſſe domeſticam; quam ut *pretioſam* hanc literariam ſupellectilem poſſint aut velint comparare; quis non videt otium deeſſe adoleſcentibus, tot volumina vel curſim evolvendi. Novimus inſuper viros ſive domeſticis ſive publicis, muneris ſui curis occupatos, vel primo tot ſcriptorum obtutu a lectione avocari, quin etiam maximis ceptam animis, e tot Hiſtoriographorum monumentis aliquando emergendi deſperatione, abrumpere: quo demum fit, ut *nullo* unquam tempore, niſi pauci, exactam rerum Patriarum cognitionem aſſequantur. His itaque omnibus non invitis manum porrigere placuit, horum gratia totus noſter ſuſceptus eſt labor. Neque parum momenti graviſſimo ſuo judi-

cio attulere Viri illi Illuſtriſſimi, qui magno, ut meminiſtis, numero tum aderant; cum Illuſtriſſimus Comes Joannes Nepomucenus Eſzterházi de Galantha Perpetuus in Cheſznek publicum ex univerſa Hungariæ Hiſtoria biennio abhinc ſpecimen daret: qui non modo mirifice jucundo illo ſpectaculo delectati ſunt; verum etiam majorem in modum auctores mihi extiterant, ut adverſaria mea, e quibus Adoleſcens hic Illuſtriſſimus ſcientiam eam hauſerat, ad plurium utilitatem in lucem publicam emitterem: horum nutus mihi ſemper imperii inſtar erunt.

Porro toto hoc opere ad noſtram usque ætatem producto majori fere ex parte Georgium Práy e Societate Jeſu ducem ſecutus fui; qui Annalibus ſuis omnem Hiſtoriam Patriam ad Ferdinandum usque Auſtriacum eleganter non minus, quam copioſe complexus, paucorum annorum ſpatio ea rei literariæ Hungaricæ adjumenta procuravit; quæ tanto tempore incaſſum deſiderabamus;

mus; ut qui primus poſt Timonem res noſtras ſuos ad annos referre, ſparſa colligere, fabellas expungere, planiorem denique ſcripturis deinceps viam ſternere inſtituit. Minime tamen ſemper, & ubique huic uni ita adhærendum putavi; ut aut ab eo recedere, aut nobiliſſimos Scriptores alios conſulere mihi religioni duxerim. *Neque* vero exiſtimet quisquam; cuncta, quæ in Annalibus aliisve Scriptoribus copioſius narrata ſunt; a me hic ſtrictim recenſeri: non omnia, ſed ex omnibus pauca quædam, eaque præcipua delegi, quæ ad propoſitum meum opportuniora; ad veſtram vero cognitionem præ cæteris utiliora fore videbantur. Quæ a me ſtudioſe præterita ſunt, licebit vobis cum ætate ipſis e fontibus haurire: quapropter notis ad calcem appoſitis præterquam quod obſcuriora quædam illuſtrare conatus ſim, ſtudui inſuper vos ad nonnulla curioſius indaganda excitare.

Mate-

Materiam omnem majoris commoditatis cauſa duas in partes diſpeſcere placuit: prior Veterem Hungariam, atque ex Nova Arpadianæ ſtirpis Regum Hiſtoriam: poſterior binas reliquas Periodos: mixtam videlicet cum Auſtriaca complectitur. Paragraphis ſingulis pro diſcentium facilitate quæſtiones ad marginem præfixæ ſunt. Inſertæ item ſuis locis Regum noſtrorum tabellæ Genealogicæ, e probatis Scriptoribus, qua licuit, accuratione concinnatæ. Neque poſtrema fuit cura; ut materiæ dignitati ab editionis elegantia & nitore pretium accederet.

Hactenus operis mei occaſionem modumque omnem deſcripſi: id unum vos jam monitos volo, Adoleſcentes Nobiliſſimi; ut ubi florentiſſimas tot Provincias Urbesque arcano quodam Divinæ Providentiæ conſilio præter omnium expectationem ſuapte quaſi collapſas interiiſſe legeritis, hæc quoque, quæ nunc aut molimur, aut ante nos ſtabilita tueri ſervareque ſtude-

de-

demus, finem aliquando habitura memineritis: & cum tot præſtantiſſimorum Regum, Principum, Heroumque nulla non ætate florentium fata dolentes quaſi mirabimini; occurrat, id ipſum de vobis olim cogitaturos poſteros, apud quos non aliud de vobis, quam recte aut ſecus factorum memoria perennis erit: hanc ut caveatis illam vero aſſequamini, veſter in omni vitæ ratione eſſe debet labor.

Quo quidem & illud eveniet; ut, quemadmodum vos præclaris Majorum adducti exemplis, ad ſummæ perfectæque virtutis laudem ſine dubitatione aſcenſuri eſtis, ita illi etiam, qui vobis olim ſuccedent, ad veſtræ pariter gloriæ imitationem excitentur.

Tantillum erat quod præfarer. Accipite hoc mei in vos amoris, in Patriam ſtudii vectigal, cui nil unquam in votis fuit, eritque aliud; atque Reipublicæ, quam licet, utilitatem præſtare, ac per

hoc

hoc ipſum unam digniſſimi Numinis gloriam promovere. Valete. Tyrnaviæ in Convictu Regio Archi - Epiſcopali Idibus Decembris. Anno ſalutis reparatæ MDCCLXIX.

CON-

CONTENTA PARTE PRIMA NOTITIÆ RERUM HUNGARICARUM.

Hungaria Vetus - - Pag. 1
Res Hunnorum - - 4
Res Avarum - - 22
Res Hungarorum - - - - 27
Hungaria Nova - - 60
Prima ſive Domeſtica Regum Hungariæ Periodus - - Ibid.

REGUM I. PERIODI GENEALOGICÆ TABELLÆ.

Tab. I. - - - Pag. 135
Tab. II. - - - 195
Tab. III. - - - 226
Tab. IV. - - - 339

RE-

REGUM HUNGARIÆ

Primæ, ſive Arpadianæ Periodi ſeries.

Anni adepti Regni		Anni obitus
997.	S. Stephanus I. - -	1038.
1038.	Petrus - - -	1046.
1041.	Samuel Aba - -	1044.
1045.	Andreas I. - -	1060.
1060.	Bela I. - - - -	1063.
1063.	S. Salamon - - -	1110.
1074.	Geisa I. - -	1077.
1077.	S. Ladislaus I. - -	1096.
1096.	Colomanus - -	1115.
1115.	Stephanus II. - -	1131.
1131.	Bela II. Cœcus - -	1141.
1141.	Geisa II. - - -	1161.
1161.	Stephanus III. - -	1173.
1162.	Ladislaus II. - -	1163.
1163.	Stephanus IV. - -	1165.
1174.	Bela III. - - -	1196.
1196.	Emericus - - -	1204.
1204.	Ladislaus III. Infans	1205.
1205.	Andreas II. Hieroſolymitan.	1235.
1235.	Bela IV. - - - - -	1270.
1270.	Stephanus V. - -	1272.
1272.	Ladislaus IV. Chunus	1290.
1290.	Andreas III. - -	1301.

NO-

NOTITIA
RERUM
HUNGARICARUM.

HUNGARIA VETUS.

PROOEMIUM.

I.

Regio illa, quam uno Hungariæ vocabulo accipimus hodie, e pluribus conflata fuit provinciis, quarum ſingulæ propriis olim gaudebant nominibus, ut: Pannonia, Dacia, Marahania & Jazygum ditio. Pannonia inde a Cœtio monte ultra Savum porrecta fuit; in cujus parte ſuperiore præter Auſtriam, Stiriam, Carinthiam, Carnioliam, Croatiam, etiam Transdanubiana

Quid Hungaria? quibus e provinciis compoſita?

A cenſe-

cenſebatur hodiernæ Hungariæ portio, a Diocletiani Cæſaris filia Valeria nuncupata. Quod ultra Danubium ad Orientem excurrit, Boſnia item & Sclavonia, inferior Pannonia audiit. Provinciam Savo, Dravoque interceptam Saviam, Interamniam, ac Ripárienſem dixere. Dacia vetus hinc Tibiſcum, Tyram illinc ac pontum Euxinum pro limite habuit. Marahania ſeu Moravia magna inde ab Albi flumine ad Moravam & Granum pertinuit. Jazyges regionem Tibiſcum inter & Carpatum coluere Marahaniæ conterminam. Omnium autem, quæ recenſui regnorum populi Sclavicæ fuere originis & idiomatis. Ex his perſpicuum fit, Hungariam hodiernam partes ſolum aliquas veteris Pannoniæ, Daciæ, Marahaniæque ſuo complecti ambitu. A)

II.

A) Geographicam Hungariæ deſcriptionem videre potes apud Samuelem Timon S. J. in Imagine antiquæ & novæ Hungariæ. Apud Michaëlem Bombardi S. J. in Topographia Magni Regni Hungariæ. Cl. Mathiam Belium in Notitia Regni Hungariæ P. Ladiſlaum Thuroczy S. J. in Hungaria ſuis

cum

[redacted]

Quoties Scythicis ſubdita populis?

II. Hanc & coelo ſalubri & poſitu percommodo ſitam, cunctisque ab Authore naturæ inſtructam beneficiis provinciam, nihil mirum eſt, tantis quæſitam ſudoribus, multiplices expertam fuiſſe dominos. Nam ut Romanos, Vandalos, Gothos, Longobardos, Francos; & Marahanos taceam, qui, ut ſors tulit, ejus ſeſe dominatu exutum ibant; ſemel iterum ac tertio per Scythicas gentes expugnata fuit. A) IV. poſt Chriſtum natum ſeculo Hunnorum ſubiit jugum. His ſubinde regno exactis, Seculo VI. ſucceſſere Avares, haud meliore uſi fortuna. Utrisque feliciores fuere Hungari ſive Turci, qui poſtquam IX. Seculo pulcherrima hac regione non ſine mul-

---

cum Regibus emendata, atque ad noſtra usque tempora continuata Tyrn. An. MDCCLXVIII. ac noviſſime in compendio Hungariæ Geographico ad exemplar notitiæ Hungariæ novæ Hiſtorico-Geographicæ Mathiæ Bel recuſo Poſonii MDCCLXVII.

A) Varios Pannoniæ Dominos & viciſſitudines compendio explicata reperies in Cl. Joannis Kvereni Hungari Pannonia Veterum monumentis illuſtrata. Lipſiæ, An. MDCCLXX.

to ſuorum ſanguine fuiſſent potiti, eandem invicta fortitudine & conſtantia tot inter diſcrimina ad hunc usque diem retinuere. Singulas has Scytharum expeditiones variasque veteris Hungariæ vices, usque ad conſtitutum a D. Stephano Regnum qua licebit brevitate mox exequemur. Ab Hunnis igitur, qui primi fuere, ordiemur.

RES HUNNORUM.

Quæ Hunnorum incunabula? quæ fata olim in Aſia?

I. HUnnos Japheti eſſe poſteros, Scythicumque populum, notius eſt, quam ut adductis rationum momentis confirmari oporteat. Neque iis hic refellendis immorari vacat, quæ de Hunnorum initiis ſeu patria Chronica memoriæ prodiderunt, ſive recentiores quidam ex Beroſo mendaciis ultra quam ſatis eſt ſcatente, majore animorum contentione, quam veritatis ſtudio illuſtrare conati ſunt. A) Ut

ut

A) Qui graviſſimas, quæ Innocentium inter Deſericium e Scholis Piis & P. Georgium Práy e S. J. de

ut iſta ſe habeant; Hunni poſt inductam linguarum confuſionem pedetentim Orientem verſus diſceſſere, plagasque Sinenſium imperio ad Septemtrionem contermiaas, diu coluere ceu avitas ſuas ſedes. Ubi poſtquam aucti numero peramplum ſtabiliviſſent imperium, graviſſima cum Sinenſibus ac diuturna bella geſſere, Hiongnui appellati: A) adverſus horum quotidianas prope incurſiones quo ſe commu-

de hoc argumento interceſſerint, lites examinare cupit, cum illius apologeticis Diſſertationibus conjungat hujus Epiſtolam reſponſoriam Edit. Tyrn. An. MDCCLXII. Supplementum ad Annal. veteres Hunn. Avar. & Hung. ibid. An. MDCCLXIV. ac denique Epiſtolam Reſponſoriam ad primam partem Diſſertationum Benedicti Cettonis e Piis Scholis ibid. An. MDCCLXVIII.

A) Opinioni huic favent Sinenſium Annales ut legere eſt in opere Gallico cui Titulus. Hiſtoire generale des Huns des Turcs des Mogols & des autres Tartares occidentaux, avant & depuis J. C. jusqu' a preſent - - - outrage tiré des livres chinois & des manuſcrits orientaux de la Bibliothéque du Roy; par M. Degvignes. - - - a Pariſ. Conſule Annal. Vet. Hunnor. Avar. & Hungar. Parte I.

nirent Sinenſes, celebratum illum CCCCXX. leucas longum eduxere murum IV. ante Chriſtum ſeculo. Verum ut nihil eſt in humanis ſtabile, potentiſſimum illud Hiongnuorum imperium, factionum domeſticarum vi ſubinde in partes diviſum ac pene collapſum fuit. *Tanjoo* quippe ſive Imperatore *Vuo* fatis functo, Anno poſt Chr. nat. XLVI. adverſus ejus filium *Punuchum*, Regni hæredem, *Peus* quidam dominandi libidine accenſus, arma corripuit, Sinenſiumque auctus ſuppetiis, meridionalem Imperii Hunnici partem legitimo ereptam Domino, ſibi una ac Sinenſium Imperatoribus fecit obnoxiam: tum feliciſſimis uſus auſpiciis, *Punuchum* cum Septemtrionalibus Hunnis avita Regione exegit. Anno Chriſti XCIII. A)

H.

A) Admonendus hoc loco lector, nos priorem opinionem de Hunnorum, uti & Avarum ac Turcorum ſeu Hungarorum primis initiis conſulto integram relinquere, dum obſcura hæc Hiſtoriæ pars, de qua tantum litigatur hodie, Eruditorum conatibus majore in luce ponatur. Quanquam parum id

ad

II. Hunc in modum ſedibus ſuis extorres occidentem verſus dilapſi ſunt Hunni Septemtrionales: multas, quamdiu per locorum intervalla licuit, a Sinenſibus pertulere clades; graviores autem a Tartaris Topais, qui multiplicibus attritos calamitatibus, ad volgam usque rejecere Anno Chr. CCCXVIII. Atque hinc magnæ illæ Hunnorum Coloniæ nominis ſui famam Europæ primum intulere; trajecto enim volga ubi terras paludem inter mœotiden ac mare hircanum poſitas coluiſſent aliquamdiu, conſcripto ex centum & octo tribubus exercitu, qui decies centum & octoginta millia faciebat, Balamberis Regis auſpiciis egreſſi, transmiſſo tanai, pedem in Europa fixere. Ann. Chr. CCCLXXIV. Devictis interea, aut in unam armorum ſocietatem acceptis fluminis illius accolis: Alipzuris, Alzidzuris, Itamaris, Tuncaſ-

Qua tempeſtate in Pannoniam delati?

ad inſtitutum noſtrum facit, nos enim in ſcribenda *Notitia Rerum Hung.* utilitatem juventutis ſpectavimus, hanc porro non vetera illa, ſed ea quæ poſt conſtitutum ab Arpado Regnum Hungaricum evenere, videntur præſtare.

ſis & Boiſcis, biennio poſt Alanis & Oſtrogothis ſub jugum miſſis, imperium ſuum a Tanai ad Iſtrum usque Hunni protulere. Demum poſtquam Viſigothis in Mœſia degentibus adverſum Romanos auxilio fuiſſent, eorum viciſſim operam, Gratiano & Valentiniano Cæſaribus opimam Pannoniæ regionem eripuere. An. Chr. CCCLXXVII.

Per quos Reges adminiſtrata in Europa Hunnorum reſpublica?

III. Non minore in ſtabiliendo, quam in occupando Regno uſi fuerunt fortuna Hunni: neque enim ſolum illud adverſum Romanos, alioſve hoſtes ſumma fortitudine tutati ſunt, verum etiam LX. annorum ſpatio per belli paciſve artes maximis auxere incrementis, immortali eorum, qui tum Hunnis præerant nominis gloria. Balambere Imperii conditore e vivis ſublato; Regni gubernacula ſuſcepit Anno Chriſti CCCLXXXVII. Rex Charaton, hunc excepit An. Chr. CCCC. Uldinus, cui An. Chr. CCCCXI. ſucceſſit Mundzucchus ſive Bendekutz, apud quem Aetius, præcipuus poſtea Romanorum ductor, in adoleſcentia longiore tempore obſidis nomine

com-

commoratus, militiæ rudimenta poſuit; Bendekutz morti vicinus cum videret, Atilam filium per ætatem regendo Imperio nondum maturum, Octarem & Ruam germanos ſuos eidem quoad excreſceret tutores dedit, rempublicam ſumma cum poteſtate moderaturos; quibus extinctis in Atilam XXX. circiter tum annos natum univerſa Regni Hunnici moles reclinata fuit. Anno Chriſti CCCCXXXIV. a)

IV. Ut Regnum adiit Atila, continuo res maximas animo complexus, brevi eam nominis celebritatem rerum geſtarum multitudine conſecutus fuit, ad quam pauci ante eum in tota retro antiquitate pervenire poterant. Principio diviſum cum Bleda ſive Buda fratre geſſit imperium, eo deinde (incertum quibus ex cauſis) necato, monarchicam regiminis formam introduxit. Quo ſucceſſu rem geſſit Atila cum Orientis Imperio.

a) Multum a vero diſcedunt Chronica Patria, cum primam Hunnorum in Europam expeditionem Atilæ Regis ductu factam tradunt duce M. Thuroczio Part. I. cap. 9.

Acatziris, gente Hunnis, ponti accolis ſub jugum miſſis, Thracia evaſtata, eam Bizantinis attulit formidinem, ut Theodoſius Junior Orientis Cæſar, omiſſo bello, pacem mercari maluerit, oblato in annos ſingulos DCC. auri librarum tributo, cautum inſuper: Scythæ cum veteres, tum novi apud Romanos transfugæ ſine pretio redderentur: Romani ex adverſo non niſi VIII. aureis perſolutis, mercatus utrinque ſine fraude exerceretur, communes denique Hunnis & Romanis amici eſſent ac hoſtes. Sic tum quidem pax coaluit; quæ non multo poſt Romanorum fraude violata, ægre iterum iisdem impetrata fuit conditionibus, præterea ut aliqua honoris ſpecie deliniret Atilam Theodoſius, Ducis Romanorum titulis inſignito annuum decrevit ſtipendium. Ex eo tempore nihil fere Orientalibus cum Hunnis interceſſit negotii; qui enim Theodoſio ſucceſſerat Marcianus, etſi fœdam Romanæ genti pacem initio erubeſceret, ſatius tamen putavit, rebusque ſuis utilius, tributum pendere,

quam

quam dignitatem ſuam imperiique ſalutem validiſſimi hoſtis furori objicere.

Quo item cum Occidentalibus ad Catalaunum Galliæ urbem?

V. Quam ad eum diem in poteſtate habuit fortunam *Atila*, non æque ſecundam adverſum occidentales experiri cepit. Decreto in Valentinianum Cæſarem bello, præter lectiſſimas *Hunnorum* Legiones immenſam *ſubditarum* aut ſociarum gentium trahens multitudinem, An. Chr. CCCCLI. vere ineunte, domo egreſſus, peragrata citra cujusquam incomodum univerſa germania, Rhenum lintribus trajecit, nemineque obicem ponente, in Galliam belgicam ſuos primum infudit: cum flexo gradu, Romanos anteverſurus, ad Catalaunum Campaniæ urbem deceſſit, copiasque in campis Mauriacis explicavit. A) Non multo poſt Romanæ quoque aquilæ ibidem conſedere, pauci, qui pugnam præceſſe-

A) Paſſim apud rudiores audias prælium hoc in Catalaunicis Hiſpaniæ campis collocari, errore e nominis ſimilitudine deſumto, atque a M. Thuroczio tradito P. I. Cap. 15. ſub finem.

ceſſerant, dies caſtris ex militari ejus ætatis more, communiendis, cunctisque ad prælium imminens ſtrenue comparandis dati ſunt. Utraque ex parte nonnihil trepidatum fuit principio. Romanus quippe miles maximis fœderatorum ſuppetiis auctus, & numero & virtute Atilanos æquabat, quibus ſummi ejus ætatis Duces ſcientia militari & victoriis clariſſimi præerant, Atila & Aetius, ut adeo alter alterius artes ac fortunam merito ſubvereri poſſet. Quamobrem Atila incertus de certaminis exitu, rogum exſtrui juſſerat, in quem continuo inſiliret, ſi inferior acie exceſſiſſet, ne tot populorum domitor in hoſtium ſorte incideret poteſtatem: ne tamen metum palam faceret, ſuos brevi adhortatione officii commonitos, prior in hoſtem minime imparatum ducit. Nec mora prælium atrox, & multiplex, quo pertinacius haud facile ſpectavit orbis exoritur; nunquam enim aut majores exercitus: aut majoribus animis concurrerunt: quod de imperii ſumma agebatur. Hunni Romanos occidentis dominatione deturbare: hi validiſſimi hoſtis po-

ten-

ſententiam hoc uno prælio proſtratam volue-
re. Producta in multam noctem cæde, cum neutra acies loco cedere auderet, Atila ſigno receptui dato, ſuos ordine optimo in caſtra reduxit. Quia vero quo loco res hoſtium, quidve Aetio eſſet conſilii ignorabat, quaſi novam adornare impreſſionem in animo haberet, armis ſtrepitum eiere claſſicaque ſonare jubet, non ſecus, atque leo venabulis preſſus, ſpeluncæ aditus obambulans, nec audet inſurgere nec deſinit vicina terrere, Rex bellicoſiſſimus caſtris concluſus, hoſtes ancipiti metu percellebat. Mox ut illuxit, magnitudo cladis, e cæſorum utrinque numero apparuit: CC. millia eo prælio abſumta ferunt. Neutri Ducum aleam repetere animus fuit: Aetius ſuſtinuiſſe Hunnorum impetum in lucris poſuit: Atila quod procul domo ac in hoſtico eſſet, novis præliis copiarum ſuarum numerum diminui noluit, atque ne fraude hoſtium, ubi ſemet collegiſſent, commeatu intercludi poſſet, provido ſane conſilio reditum in Pannonias maturavit.

VI.

Qua tempeſtate D. Urſula ac Sociæ VV. ab Hunnis cæſæ?

VI. A pugna Catalaunica Hunni diviſis agminibus domum feſtinantes, quo tot virorum fortium cædem ulciſcerentur, qua iter habebant, iras in vulgus innoxium vertere, nil ab eorum ferro & igne eximium eſſe potuit. Sævientis hunc in modum exercitus fama in omnem partem diſperſa, Chriſtiani parentes, quo filiarum ſuarum cumprimis ſaluti ac pudicitiæ proſpicerent, ſumma collectas ſollicitudine ad munitiora transmittebant loca. Atque harum e numero fuit angelicum illud D. Urſulæ agmen, quod, cum qua terreſtri, qua navali itinere Coloniam Agrippinam properat, adſunt Hunni, teneras Virgines indagine claudunt; blanditiisque primum aggrediuntur; tum cupiditati ſuæ fortiſſime reſiſtentes, quod unanimi conſenſu pudicitiam vitæ præhaberent, amore in vindictam verſo, telorum ſaxorumve imbre momento obruunt. Sic illæ tum puriſſimas in cælum animas transmiſere, duplicis martirii laurea inſignes: earum vero corpora poſt Hunnorum diſceſſum a Colonienſibus humo mandata, poſtquam DEUS innocentum

Vir-

Virginum gloriam multis teſtatam feciſſet prodigiis, in pretio Chriſtianis eſſe ceperunt. Cædes hæc eodem quo prælium Catalaunicum accidit An. Chr. CCCCLI ut eruditi omnes conſentiunt, ſi paucos excipias, qui profligatis illis ac per ſummum ſcelus D. Eliſabethæ. Schönaugienſi aſſutis revelationibus in fraudem inducti, fœdum errorem turpiore multo pervicacia erubeſcunt deponere. a)

Quid præterea ab Hunnis actum in Italia?

VII. Redux in Pannoniam Atila tantum abeſt, ut belli in occidente proſequendi conſilia deponeret, ut potius hibernos men- [illegible] ſes

a) Revelationes hæ ubi de D. Urſula Virgine agunt, evidentibus ſcatent mendaciis, ut mirum ſit nonnullos earum auctoritate in fraudem induci potuiſſe, contra totius antiquitatis ante ſeculum XI. traditionem, ac conſtantem poſtea etiam eruditorum ſententiam. Legeſis P. Georgii Pray e S. J. Supplementum ad annales veteres eo loco, ubi adverſum Parergon Cl. Dericii agit, novamque illius opinationem quam luculentiſſime convellit, una cum ſepulchrali illo lapide Colonienſi Anno hujus ſeculi III. poſito, qui viro cæteroquin docto graviter adeo impoſuit.

ſes copiis per nova ſupplementa reparandis intenderit: exeunte hyeme maximis itineribus per Noricum in Italiam properavit, quo eum & ultionis ſtudium, & nuptiarum cum Honoria Auguſta Valentiniani Cæſaris ſorore ſpes invitabat. Mulier improba ob mores non ſatis pudicos aula exacta, quo fratri ægre faceret, crebris Atilæ nuptias ambivit nunciis, non modicam occidentalis imperii partem dotis loco, nobiliſſimo pollicita ſponſo. Hujus itaque votis quo tandem ſatisfaceret Atila, alpes nemine reſiſtere auſo transgreſſus, Aquilejam duorum prope menſium obſidione fatigatam cepit, atque evertit. Caſtigata deinde Mediolani Romanorum Cæſarum ambitione, A) poſt vaſtatas Liguriæ Æmiliæque

A) Intuitus ibidem Atila tabulam, quæ Scythas mancipiorum inſtar proſtratos ad Imperatorum aureo Throno inſidentium pedes referebat: ſe itidem ſolio ſedentem pingi juſſit: Imperatores vero eminus ſtantes, qui ſaccos auro plenos ex humeris ad ſuos pedes tributi inſtar ſinerent defluere. Annal. veter. Hunn. Pag. 167.

que urbes præcipuas, Romam contendit; ſed Leonis Papæ oratione, qui jam jam appropinquanti cum univerſo Clero proceſſerat obviam, non ſine prodigio placatus, a vi abſtinuit, quin etiam, quod mirere, ejusdem Pontificis opera Valentiniano conciliatus, impoſito occidentalibus Romanis tributo annuo, exercitum reduxit, Marciano Orientis Imperatori bellum illaturus, quod vectigalia, ut conventum ante fuerat, pendere Hunnis detrectaret.

VIII. Poſtrema hæc Atilæ conſilia inopina mors intercepit, ipſa enim nuptiarum cum Ildicone ſponſa nocte, delapſo in fauces ſanguine, quo morbi genere laborabat ſæpius, præfocatus, interiit A.Ch. CCCCLIV. incredibili aulæ gentisque totius luctu elatus: corpus triplici loculo: aureo, argenteo ac ferreo denique impoſitum fertur, ad immenſas tanti Herois opes eximiamque fortitudinem declarandam. A) Agebat Atila,

Quo exitu vitam clauſit Atila?

A) Traditio eſt prope vicum Dombegyház in provincia Chanadienſi Atilam tumulatum, nec longe

Atila, cum vitam clauſit, quinquageſimum circiter annum, Vir militari ſcientia, & cunctis ad regendum dotibus inſtructiſſimus, ut qui non modo fines imperii ſui egregie auxerit; verum etiam tot gentes lingua & moribus diverſas unus ipſe in officio continere noverit. Nam ut tributarios taceam populos, Pannonia utraque, Dacia, & quod terrarum ad Tanaim usque porrectum eſt, ejus parebat imperiis. Exterior Atilæ agendi ratio, quod apud hominem nullis addictum religionibus, mirum videri poterat, ad virtutem humanitatemque conformata fuit. Licet ſeveram præſeferret gravitatem; ſupplicibus tamen facilem, & ſemel in fidem receptis propitium ſemet ſemper exhibuit. Forma illi corporis mediocris fere, pectus latum, caput grandius, minuti oculi, aquilinus naſus,

ge inde Regiam illius abfuiſſe, ubi nummum Atilæ argenteum repertum accepimus, cujus pars adverſa effigiem Regis cum epigraphe, averſa equum referebat. Utinam nummisma ipſum nobis explorare licuiſſet!

ſus, color teter in ore, cani capilli, ut ſpecies ipſa Martem, quem præcipue cum Hercule Deorum loco veneratus fuit, referre videretur.

Quibus machinis labefactatum Hunnorum Imperium?

IX. A morte tanti Regis res Hunnorum in Europa inclinare cæperunt: intempeſtiva trium *Atilæ* ex Græca conjuge filiorum *ambitio ruinæ* cauſam præbuit. Cogitarat *quidem* providus pater regimen Monarchicum, quod ad maxima etiam Imperia conſtabilienda, opportuniſſimum uſu ipſo compererat, in Ellachum natu maximum transferre, quem, ut ad id faſtigii ſenſim præpararet experimentoque ipſo familiarem redderet difficillimam omnium regendi artem, aliquot ante obitum annis Acatziris Regem juſſerat: verum optima providi Patris *conſilia* ſuo caruerunt effectu: Dengiſichus quippe regnandi præ quam alii cupidus, imperium omne tres in partes dividendum eſſe contendebat, ut quibus una eſſet naſcendi conditio, pari quoque fulgerent dignitate. Intempeſtivis hiſce curis occupata Hunnorum aula, reſpublica in

ſummum adducta fuit diſcrimen; quod ſubditæ gentes occaſione ea utendum ratæ, inopina ſuos in dominos arma corripuerant. Primus jugum excuſſit Ardaricus Gepidarum Rex, neque diu pugnatum eſt: in prælio ad Netam Pannoniæ amnem conſerto, XXX. Hunnorum millibus una cum Rege Ellacho cæſis, Dacia potitus, læto ſucceſſu Gothos ad abjiciendam ſimiliter ſervitutem excitavit, qui ſubinde occupata non magno negotio Pannonia, partem Hunnorum ad Boriſthenem, in Illyricum partem rejecerunt.

Quando demum interiit?

X. Has inter Hunnici Imperii ruinas nihil non egit Dengiſichus cum Irnacho ſuperſtes, quo labantibus in dies rebus opem ferret. Cum bello adverſum Gothos nil proficeret, ſupplex pacem a Romanis poſtulavit, ſed ea ſuperbe negata, bello rurſus fortunam periclitari decrevit, neque tum faventiorem, atque antea expertus: poſt iteratas cum a Romanis, tum a Gothis clades, in decretorio ad Baſſianam Urbem certamine, amiſſo exercitu, fugitivus ab

Ana-

Anagaſto militiæ Romanæ magiſtro in Thracia intercipitur. Ejus caput præciſum per celebriores Bizantii vicos circumlatum, palo demum infixum fuit, fato ut miſerando, ita parum decoro tanto Principe ac *Atilæ* Regis filio. Irnachus fratrum minimus mitiore præditus ingenio, poſita Imperii reſtituendi *ſpe*, cum paucis, qui e tot *cladibus ſupererant* Hunnorum, Boriſthenem inter, ac Tanaim ſe recepit, pacemque ad obitum usque ſtudioſe coluit, vel eo ſuis felicior fratribus, quod ſpeciem aliquam Regiæ apud ſuos poteſtatis retinuerit quam diutiſſime. Atque huc demum recidit florentiſſimum illud Atilæ Imperium, quod a Balambere felicibus cæptum auſpiciis, ſucceſſorum virtute ad ſummum potentiæ apicem evectum, poſtquam ſeculum non integrum ſtetiſſet, penitus interiit, documento futurum, nullis facilius machinis, quam domeſticis diſſidiis validiſſima etiam imperia labefactari proſternique poſſe.

RES AVARUM.

Quæ Avarum initia?

I. ALtera Scytharum in Pannoniam Avarum nomine ſuſcepta fuit migratio. Horum pariter incunabula ex ultimo pone Sinenſes Oriente repetenda ſunt. Regno initium dediſſe fertur IV. poſt Chriſtum natum ſeculo Nobilis Tartari Topaenſis ſervus Mokol dictus, qui poſtquam in Chamenſem, Sinenſibus ad ſeptemtrionem conterminam ſeceſſiſſet ſolitudinem, collectis aliquot fugitivorum ac otioſorum manipulis, vicina latrociniis corrupit loca, pluresque Tartarorum, ac imprimis Hunnorum tribus ſibi adjunxit. A) Hæc avarici in Aſia Regni initia tantis poſtea Mokolii ſucceſſores, præcipue Tolunus auxere incrementis, ut ſeculo vix evoluto potentiſſimum, vicinisque formidandum ſurrexerit Imperium. Principio gens univerſa Geougeni appellati, poſtea Avares, Varchunitæ, a regulis, quos Vár dixere: ii vero, qui ſummo cum Imperio præerant Chani aut Chagani vocati ſunt,

quo

A) Annal. Vet. P. II. Diſſert. prævia de Avaribus.

quo nomine patria eorum lingua Imperatoria dignitas venit.

Quæ fortuna priusquam Europam tenerent?

II. Florentes diu res Avarum domeſtica non minus, quam externa bella peſſumdedere, plurimum nihilominus ad id momenti attulere Turci, Hunnicum genus, qui Toumueno Duce excuſſo ſervitutis jugo, inteſtinis *debilitatam* factionibus rempublicam *adorti*, poſt multas clades egere præcipitem: pars victoribus ſe Turcis ſubjecit, pars ad Sinenſes demigravit, cæteri quibus libertas, cordi fuit, avita regione deſerta, occidentem petiere. Atque hi ſunt ii Avares, qui variis per Aſiam acti erroribus, aſſumtis in eandem ſocietatem Unoguris, Sabiris Hunnicæ originis populis, ac noviſſime Atilanorum, quos ad Boriſthenem cum *Irnacho* Principe reſtitiſſe meminimus, poſteris, poſtquam Gepidas una cum eorum Rege Cunimundo internecione deleviſſent, Daciam omnem in ditionem ſuam redegerunt.

Quibus artibus reſtitutum Scythicum in Pannonia Imperium?

III. Exacto in Dacia prope decennio, deſertas a Longobardis, in Italiam per Narſetem evocatis, Pannonias ingreſſi, priſtinum Scytharum Imperium poſtliminio reſtituere. An. Chr. DLXVIII. Hinc porro prolatis in omnem partem populationibus paucorum annorum ſpatio tantis crevere incrementis, ut quidquid a ponto euxino ad Albim, a Savo ad Onaſum terrarum continetur juris eſſet Avarici. Orientis æque ac Occidentis Principes his & ampliſſima dare munera, & tributa pendere coacti ſunt, quo a ditionibus ſuis bellum propulſarent.

Quomodo per Francos deletum?

IV. Ducentis & amplius annis cuncta propemodum e ſententia cedebant Avaribus, usque ad Caroli M. Francorum Regis atque occidui Romanorum Imperii inſtauratoris ætatem; Piiſſimus Princeps tot ſubditorum calamitatibus ad juſtam in Avares toti Europæ infeſtos vindictam animatus, circa An. Chr. DCCXCI. bellum decrevit, pluresque ex iis memorabiles reportavit triumphos, præſertim poſtquam coortis Avares inter domeſticis diſſidiis, ſeipſos mutuis

cædi-

cædibus attriverant; tum enim vero continuato ſtrenue bello, Avares Pannoniæ incolas eo redegit, ut deſperata in armis ſalute, miſſis Legatis ſe, ſuaque omnia Victoris *fidei* permitterent. Recepit eos libenter in gratiam Carolus, ac ne quid rerum novarum moliri poſſent, ſat arctis victos concluſit *legibus*: ſparſos antea per omnem *Pannoniam* in unum coire, agrosque Sabariam inter & Carnuntum colere juſſit. Circum ex omni parte Comites limitum Præfectos inſtituit, qui cum viciniis gentibus eorum motibus invigilarent. Quo autem mitiorem redderet Avaribus ſervitutem, non modo mercatum pari cum cæteris jure faciendi, verum etiam Chaganos per libera gentis ſuffragia legendi conceſſit poteſtatem, Occiduis tamen Cæſaribus futuros obnoxios.

Quid inde comodi in rem Chriſtianam?

V. Servitus ea longe maxima Avaribus peperit commoda: ſuum quippe putabat Carolus, ut quos ſuæ ſubdiderat dominationi, cum temporariæ, tum æternum duraturæ felicitatis redderet participes. Quam-

obrem adjuncta Salisburgenſi Eccleſiæ Pannonia, limitum Præfectis Comitibus majorem in modum commendavit, ut humanitatis, & benevolentiæ officiis Avarum animos ſibi Religionique Sacroſanctæ ſatagerent conciliare. Optimo Caroli Conſilio optatus reſpondit eventus; comitum quippe ſuavi agendi ratione, & quotidiana mercatus cauſa cum Chriſtianis conſuetudine ſenſim deliniti, poſita feritate, una cum Chagano ſuo Catholica Sacra ſunt amplexi: nec quidquam poſtea ad Hungarorum usque adventum moliti fuere, ſive quod in arctum eſſent concluſi; ſive potius quod cum lege Chriſtiana debitam quoque legitimo Principi fidem ſervare didiciſſent. Alia multo eorum Avarum, qui in Dacia dominati ſunt, ſors fuit, quos Bulgari & Chrobati Saviani poſt varias clades debellatos denique, ſub jugum miſere. Hic demum exitus fuit Avarici Regni, quod ita deletum eſt, ut ne fama quidem ejus ſupereſſet.

RES

RES HUNGARORUM.

Qui Hungari? an Hunnorum Atilanorum poſteri?

I. POſtremi ex Oriente in Pannoniam appulere Hungari, veterum Hunnorum ſive Hiongnuorum poſteri, minime vero ex Atilanis reliquiis progeniti: hi enim in Europæ limitibus ut dictum, reſtiterant, atque in eandem cum Avaribus abiere gentem: Hungarorum autem majores diu in ultimo floruerunt Oriente, variisque fortunæ caſibus exagitati pedetentim occidentem verſus deceſſerant, felicioribus poſtea avibus Hunnorum ac Avarum popularium ſuorum Regnum ſuſcitaturi. Juvat rem paulo altius repetere.

Quæ Turcici ſive Hungarici in Aſia Imperii initia? quæ amplitudo?

II. Geougenis ſeu Avaribus rerum in Aſia potientibus, Toumuenus Dynaſta præpotens ſeceſſione facta ſub An. Chr. DLI. prima Turcici in Aſia Imperii jecit fundamenta; A) huic ſucceſſit Mochanchanus, vir conſilio & manu promptus, qui deleto Avarum Regno, devictisque populis innu-

meris,

A) Ibid. Differt. prævia de Hungaris.

meris, eo res Turcorum adduxit, ut nullum id temporis imperium gloria & amplitudine cum Turcico in contentionem venire poſſet; ſuo etenim ambitu ab Oriente Coream & Leatongenſe pelagus: ad Septemtrionem Siberiæ partem non modicam, ab Occidente autem ac meridie quidquid Sinas inter & Caſpium mare jacet, complectebatur. Hic cum eſſet vaſtiſſimi Imperii poſitus, multa Turcis cum Sinenſibus Perſisque interceſſere certamina, maxima ſemper Turcici nominis gloria terminata.

Quas in partes & cur diviſum?

III. A morte Mochanchani paulo alia rerum facies fuit, nam quod tam vaſtum Imperium mole laboraret ſua, ut eidem gubernando unius mens Principis impar videretur, duas in partes Orientalem & Occidentalem dividi neceſſe fuit, ita, ut amnis Irtiſchus communis utrique limes fieret. Orientalibus e Turcis poſt varias migrationes Mogoles Tartari, aliæque in Aſia gentes exortæ: A) Occidentales autem graviſſi-

A) Vehementer id firmat vocum Mogolicarum cum-

viſſimis paulo poſt objecti fuere calamitatibus: nonnullorum enim Dynaſtarum, qui Tyrannidem arripuerant, ambitione rurſum plures in partes abiere: multæ præterea tribus inteſtinos motus pertæſæ in Sinenſium clientelam conceſſere. Creſcentibus in dies turbis domeſticis, cum nihil a vi tutum eſſet, *plurimi* ſuis cum regulis ad tutiora *Aſiæ* loca ſe receperunt, qui ſubinde amiſſo Turcorum nomine, aut a regulis, aut a locis quæ colebant novas ſibi indi-

cum Hungaricis harmonia: quarum elenchum vide in Epiſtola *Reſponſoria* P. Pray ad Cettonem. pag. 135. Mogoles ipſi patria lingua ſe Mogor appellant, ut Hungari Magor ſeu Magyar. De Tartaris pariter exploratum eſt, eſſe eorum nonnullas in oriente tribus, qui *affini Hungaris* ſermone etiamnum utantur. P. Rátkay S. J. in ſinis Miſſionarius teſtatus eſt, ſe cum quorumpiam Tartarorum legatis Pekini Urbe Regia Hungaricé collocutum. Eſt & mihi in promtu copia litterarum Nobilis Hungari Samuelis Turkoly, Aſtracano An. MDCCXXV. die 2. Aprilis ad amicos datarum, in quibus diſerte meminit, ſe in quadam Tartariæ parte populos Hungarice loquentes reperiſſe, homines etiamnum Idolorum cultui deditos.

indidere appellationes, novaque ſeorſim regna conſtituere: atque horum e numero ſunt: Chazari, Uzi, Cabares, & Pacinacitæ Turcicæ, omnes ſeu Hungaricæ originis populi. A)

Poſt collapſum Imperium quas in Aſia coluere ſedes Turci?

IV. Hunc in modum diſtracto Turcorum Imperio, ii, ex quibus Hungaros poſtea prognatos dicemus, a popularibus ſuis deſerti, ægre ſemet adverſum finitimos aliquamdiu tuebantur, ad extremum per Arabes & Hoeikeos Hunnorum itidem poſteros profligati, fuga ſalutem quærere coacti ſunt. Itaque cum conjugibus ac liberis avita

A) His adnumerandi ſunt Fenni Lapones ceterique Scytharum populi, quibus eadem quæ Hungaris fuiſſe incunabula vel idioma ipſum, quo hodiedum utuntur, probat. Iſtud quidem Hungarico affine eſſe eleganter oſtendit Joannes Nep. Sainovics e S. J. in Demonſtratione edita Haffniæ Anno MDCCLXX. recuſa Tyrnaviæ. In Veteribus autem Scythiæ populis eruendis Eruditi magna induſtria nunc deſudant: quibus definitis, & proximas Turcorum Hungarorumque ſedes, & itineris in Daciam Pannoniamque rationem explicatam habebimus.

avita regione egreſſi, poſt multa itinerum diſcrimina, Tanaim inter ac Volgam flumina conſtitere. Summa illic lætitia accepti ſunt a Chazaris popularibus ſuis, qui præter Tauricam Cherſoneſum, a Tanai ad Boriſthenem late diffuſi, dominabantur. Aliquot hic annos exegere Turci, Chagano Chazariæ obnoxii, ut pene in unam coaluiſſe gentem viderentur. Verum alio eos fata vocabant: incertum qua de cauſa bellum Turcos inter & Pacinacitas conterminos exortum eſt, tantaque vi ab his continuatum, ut debellati penitus Turci loco cederent: pars in Perſidem deceſſit Ottomanicum poſtea Imperium fundatura: A) pars

A) Hungaros eadem cum Turcis hodiernis habuiſſe incunabula pluribus oſtenditur in Annal. Vet. P. III. & in Epiſtola Reſponſoria ad Cl. Deſericium pag. 69. & ſequentibus, ſuadet id Turcicarum vocum cum Hungaricis affinitas: fatendum nihilominus, multis duo hæc idiomata differre hodie, ſed cui id mirum videri poterit, ſi apud ſe reputet, exiguum Turcorum manipulum, qui accepta per Pacinacitas clade in perſidem refugerant, tot gentium lingua differentium conſuetudine a primigenio

pars convaſatis rebus præcipiti ſuga in Daciam contendit circum A. Chr. DCCCLXII. Pacinacitis in relictas per Turcos ad Tanaim terras ſuccedentibus.

Qua tempeſtate Arpadus apud ſuos principatum adeptus?

V. Inopinata ea Turcorum fuga doluit magnopere Chazaris, quod eorum ſocietate Regnum ſuum paulo amplius ſtabilitum auctumve iri ſperarant; quo igitur populares ſuos tanto terrarum disjunctos intervallo in amicitia retinerent, miſſis in Daciam legatis Turcos hortati ſunt, uti ſua e gente liberis ſuffragiis idoneum legerent virum, qui ſumma ipſis cum poteſtate præeſſet, Chagano tamen Chazariæ clientelæ nomine obnoxius. Nec mora habito ſeniorum Concilio, omnium vota in Almum, hoc vero ætatis cauſa dignitatem deprecante, in Arpadum ejus filium conſpiravere, continuo gentili ritu præſtitum novo Duci fidei Sacramentum, additaque mu-

nio ſuo ſermone paulatim deſciviſſe. Proh quantas ſive latina ſive Teutonica lingua ſubiit in Europa viciſſitudines!

mutua Ducem inter ac gentem pacta: Quemadmodum Principatus Majeſtatem Arpadianæ ſtirpi perpetuam eſſe voluere: A) ita Dynaſtarum quoque cæterorum honorem ad poſteros tranſire juſſere, quo privare aliquem nefas eſſet, niſi fidem ſummo Duci fefelliſſet. Decreta in eos mortis pœna, qui hunc inter ac ejus neceſſarios, vel Dynaſtas diſſidia ſeviſſent; cautum denique, ut res bello parandæ toti genti eſſent communes. B) Atque his legibus primus omnium Arpadus Turcis præeſſe cæpit, poſt collapſum quippe eorum in Aſia Imperium nullum agnovere Principem, Dynaſtæ ſinguli ſuas in tribus ſuprema cum poteſtate dominabantur nemini obnoxii, id quod multis cauſam præbuit turbis, plu-

A) Ita nempe conſtitutum, *ut quamdiu vita durarет tam ipſis, quam etiam poſteris ſuis, ſemper Ducem haberent de progenie Almi Ducis* Anonym. Belæ Regis Notarius Scriptor. Hung. Tom. I. pag. 9. edit. Tyrn.

B) Ibid. Cap. V. & VI. quibus conſentit Conſtantinus Porphyrogenita de Adminiſtr. Imper. Cap. XII.

rimumque ad Turcorum in Aſia ruinam attulit momenti. A)

VI.

A) Qui Anonymum Belæ Regis notarium cum Conſtantino Porphyrogenita collatum ſequi malunt, paulo aliter, quam a nobis narratum ſit, de Turcorum ingreſſu, regnique Hungarici initiis ſentiendum exiſtimant. Horum opinione, Turci ultra Volgam habitantes Ann. Chr. DCCCLXXXIV. domo egreſſi, per ſusudalenſem ditionem Kioviam pervenere. Ruſſi novos hoſpites ſibique formidandos, agro ſuo e ſturi, vicinos Cumanos ſeu Fennos in auxilium evocarunt. Prælio commiſſo, victi Ruſſi pacem cum Almo Duce iniere, autoresque eidem fuere, ut ad Pannoniam, quæ olim Scythis paruerat, occupandam iter flecterent. Cumani vero ſeu Fenni cum Turcis, quos tum demum gentiles ſuos agnoverant, intimam pepigere amicitiam. Itaque Ann. Chr. DCCCLXXXVI. Turcæ ſociis VII. Ducibus Fennorum cum totidem tribubus, per Galliciam & Lodomeriam meridiem verſus progreſſi, inde a Boriſtene regionem omnem, quæ Beſſarabiæ Moldaviæ Tranſilvaniæque reſpondet, occuparunt; ita ut extremum eorum agmen, quod Cumanis fere conſtabat, cum Almo Duce ad Ungum flumen conſtiterit. Hic Ann. Chr. DCCCLXXXVII. unanimi Turcorum & Cumanorum ſuffragio, probantibus Chazaris, Arpadus apud ſuos principatum adeptus fuit.

VI. Hunc in modum meliore apud Turcos introducta regiminis forma, Chazari ſociorum cladem ulturi, Pacinacitas bello petunt, atque in recens occupata ad Tanaim regione profligant. Hi e victis mox victores effecti, Turcis ad tibiſci littora rejectis, magnam Daciæ veteris partem oc- Quomodo Hungaria potitus?

 cu-

fuit. Has reapſe novi hujus e Turcis Cumaniſque conflati populi ſedes fuiſſe, indicare videntur flumina, quæ eos tum accoluiſſe tradit Porphyrogenita, videlicet. *Chiidmas*, *Chyngilus* hodie *Ingul* in Beſſarabia, *Boriſtenes Bogus*. *Brutbus Seretbus* &c. Quietis hic eſſe licuit Arpadianis usque ad Annum Chr. DCCCXCI. quo Pacinacitæ, unde hodierni Cumani noſtri ortum ducunt, prius a Chazaris profligati, Turcos bello victos ab ſe invicem diviſere: pars Boriſthenis proxima Orientem verſus in Perſidem abiit; pars e Beſſarabia & Moldavia ejecta, ad Alutam & Criſium ſe recepit. Atque ex his ſedibus poſtquam Arpadiani meridiem & occidentem verſus propagati ſunt, Regnum Hungaricum ſurrexit. Hæc ſi ita ſunt, Tranſilvaniam ſoli fere Turci, Hungariam vero Turci VII. tribubus Fennorum ſeu Cumanorum conjuncti occupavere. Sed de his tutius arbitrari licebit, poſtquam R. P. Maximiliani Hell e S. J. Cæſareo Regii Aſtronomi *Expeditio literaria* lucem aſpexerit.

cupant. Sic cum a tergo premerentur per Pacinacitas Turci: Cabares Turcicum itidem genus, facta a Chazaris ſeceſſione, per Poloniam Tibiſco proximam ad ſocios magno numero appellunt. Opportunis auctus ſuppetiis Arpadus domitis Jazygibus, quo tempore Sventibaldi Moravorum Regis ſuperſtites duo filii de Principatu decertabant, cum ſuis procurrens, id, quod Vago Granove fluminibus adjacet, brevi tempore ſui efficit juris: cum Danubium transgreſſus aſſertis in libertatem Avarum reliquiis magna Panoniæ parte potitus fuit, priſtinumque Hunnorum & Avarum Imperium feliciori conatu cæpit reſtituere. A) Ex eo tempore regio Turcis tum obnoxia varias obtinuit appellationes, Hunniæ, Ava-

A) De Hungarorum adventu primisque Regni initiis, Conſule e Domeſticis ſcriptoribus: Anonymum Belæ Regis Notarium. M. Thurotzium. Bonfinium. Samuelem Timon e S. J. Innocentium Deſericium e Scholis Piis. Georgium Práy e S. J. Cl. Joannem Peltz de VII. Ducibus. Cl. Joannem Severinum in Conſpectu Hiſtor. Hung. ad nos usque ſummo compendio continuatæ.

Avariæ, Ugriæ ac deniqueHungariæ; Turci autem mutato nomine: Ugri, Hunni, Agareni, Hunnugari, atque Hungari A) ab occidentis populis nuncupati ſunt, brevique nominis ſui fama univerſam Europam complevere: quanquam apud Græcos paulo ſerius Turcorum nomen amiſerint.

Quæ ſors Pacinacitarum in Dacia? quænam ex iis gentes exortæ?

VII. Quoniam eædem Pacinacitis, quæ Hungaris fuere origenes, B) poſt multasque

A) Scriptores Patrii Hungaros a Caſtro Hungvar appellatos tradunt; at mihi veriſimilius id inde accepiſſe videntur, quod paſſim Hunni aut Agareni ab Occidentalibus Scriptoribus vocari conſueverint, e quibus duabus vox una Hunnugarus aut Hungarus conflari potuit: Patria lingua Magyar ſemet appellant olim Magor, quo nomine adhuc in Aſia uſos vix dubium eſt. Sunt qui Hungaros a Fennorum ſeu Cumanorum tribu Wonger; Magyaros vero ab altera Cumanorum tribu Magyar dictos exiſtimant. Equidem Wonger & Megyer nomina in Carſeliæ Mappis Geographicis hodiedum eſt legere.

B) Qui Pacinacitas Slavicæ gentis populos faciunt, præter alia, id in mentem revocent, Cumanos hodiernos Hungariæ Tibiſcanæ incolas, qui Pacina-

que viciſſitudines rurſum in unam quaſi gentem coaluere, juvat hic breviter eo-

rum

---

cinacitarum ſunt poſteri, ſolum idemque puriſſimum idioma Hungaricum loqui, citra ullam Slavici admixtionem. Id quod eo majoris habendum eſt, quod nemini ignotum ſit, Slavorum Teutonumve Colonias, variis temporibus in Hungariam traductas, idioma ſuum, aut certe ejus veſtigia ad poſteros transmiſiſſe. Ut autem Pacinacitas eadem, qua Hungaros origine Satos, Statuamus, non parum facit locus Porphyrogenitæ Cap. XXXVII. ſub finem, ubi aſſerit, tres Pacinacitarum tribus Canchar. *Kankar* appellari propterea, quod *ceteris Fortiores nobilloreſque ſint: nam vox* inquit *hoc ipſa Canchar ſignificat*, neque alienum id a vero eſt; apud Hungaros enim vox *Kan-kar* Maſculum ſeu virile brachium ſignificat: Itaque ternæ illæ Pacinacitarum tribus, fortitudinis ſuæ cauſa, *Kankar* ideſt *Virilis Brachii* populus appellatæ ſunt patria ſua lingua: quodſi ita: quis neget Pacinacitas aut Hungarico aut certe affini Hungaris ſermone uſos fuiſſe. Non deſunt, quidem qui Cumanos noſtros, ac idcirco Pacinacitas eorum Majores a Tartaris deducant; qua in re aſſerenda cetera inter nituntur *Oratione Dominica* Tartarici idiomatis, quam hodiedum a Cumanis prolibus recitari accepimus: at hanc ego *Orationem Dominicam* a Viris Apoſtoli-

cis

rum explicare fata, quo Siculorum, Jazygum & Cumanorum res meliore in luce ponantur. Daciam veterem Turcis, ut memini, ereptam octonas in partes pro tribuum Ducumque ſuorum numero diviſere Pacinacitæ. Dux Gyula præcipuam hodiernæ Tranſilvaniæ Regionem inſedit. Septem reliquæ tribus per vaſtiſſimos ad pontum Euxinum & Tyram fluvium terrarum tractus diſtributæ ſunt. a) Atque hi iidem ſunt populi, quos Anonymus Belæ Regis Notarius Scriptoreſque cæteri Chu-

cis tartarice redditam exiſtimo, in eorum tartarorum gratiam, qui variis temporibus in Hungaria remanere coacti, ſub Ladislao IV. Cumano Rege Conterminas Jazigibus & Cumanis noſtris ſedes in Hungaria coluere. Hi ſubinde ſub Ludovico M. Rege ad Chriſtum converſi, quod pauci erant, obliterato proprio idiomate Hungaricum adoptavere. Ab his itaque tartaris vicinis ſuis Cumani dictam *Orationem* didicerint. Quanquam alibi jam innuimus, exploratum eſſe, nonnullos Majoris Tartariæ populos, idiomate Hungaris affini uti.

a) Conſule Annales Veteres Hunnor. Avar. & Hung. P. III. p. 386.

nos aut Cumanos appellant, quibus cum Græcis æque ac Hungaris diuturna crebraque fuere bella. Præ cæteris memoratu digna eſt illa Cumanorum in Hungariam procurſio, quæ ad An. Chr. MLXXXVI. evenit, cum prædis onuſtos domum parantes ex inſidiis aggreſſus D. Ladislaus Rex indagine cinxit, libertatemque iis, qui in Hungaria remanere, Chriſtique fidem amplecti vellent, per præconem obtulit. Tam liberalis conditio ultimo in vitæ diſcrimine verſantibus propoſita, non potuit non eſſe gratiſſima: quod cum D. Regi renunciatum fuiſſet, in fidem receptis, ejus, quæ olim Jazygum Metanaſtarum fuit, regionis partem habitandam aſſignavit. Horum ſubinde invitatione conjuges liberosque e Cumania egreſſos eodem commigraſſe vix dubium eſſe poteſt. Atque hos ego Cumanos hodiernorum Jazygum Majores exiſtimo, qui appellationem ſuam non tam a veteribus Jazygum Sclavorum populis, quam ab arcuum tractandorum dexteritate traxerint, ab Hungaris Jáz ſive Sagitarii propte-

rea

rea dicti. a) Aliquanto ſerius ſuas Siculi ſedes obtinuerunt. Qui ad Iſtri littora habitabant Cumani, frequentibus in Romanas ditiones procurſionibus Græcorum in ſe iras haud paulo vehementius conciverant. Joannes Comnenus Imperator ſuorum calamitatibus commotus, Cumanos tum forte in Thracia populantes aggreſſus, difficili ac diuturno prælio fractos, caſtris exuit, penitusque profligavit. An. Chr. MCXXI.

---

a) Dubium omne tollere videntur diplomata Regum Belæ IV. & Ladislai IV. qui ubi de Jazygibus agunt, hac fere phraſi utuntur: *Jazones, Jaſſones, Arcitenentes, Sagittarii, Baliſtei, Pheliſtei, noſtri, qui in arcubus, & Sagittis exercitatore tenentur* ex quo etiam ratio reddi poteſt cur Philiſtæorum nomen eis adhæſerit. Leelis illud cornu, quod a veteribus Jazygibus traditione acceptum autumat vulgus, fabula eſt, quid enim Jászkürt aliud ſonat, ac cornu venatorum ac jaculatorum? Porro Iſmaelitæ nulla ratione cum Jazygibus confundendi ſunt: hi enim Judæi vel Saraceni origine, variis tempeſtatibus queſtus cauſa in Hungariam illapſi, pone Jazygum terras ſua habuere tentoria, Caroli I. & Ludovici M. curis ad Chriſtum traducti.

Ab infelici hoc caſu Cumani domum reverſi, quo ſemet ulteriori Græcorum vindictæ ſubducerent, pars in Tranſilvaniam ad populares ſuos demigravit: maximis a Stephano II. Hungarorum Rege exculti immunitatibus, quod limitum virtute manuque ſua tuendorum curam ultro ſuſcepiſſent, Székellii ſive cuſtodes dicti ſunt. A)

Pars

A) Etiamnum in quibusdam Hungariæ locis Silvarum cuſtodes Székelſ appellari teſtatur Timon in Imag. Antiqu. & Nov. Hung. Cap. X. Legimus ipſi in diplomate Belæ IV. An. MCCLV. Conterminos Moravicis montibus populos Siculos, Száékellos, dictos. Recte igitur Cumanis a limitum Daciæ cuſtodia Székellorum nomen inditum: Alii ſiculos Scythulos appellant. Paſſim vero a domeſticis ſcriptoribus ſiculi Atilanorum Hunnorum poſteri eſſe affirmantur: eorum nempe qui a morte Atilæ, collapſo Hunnico Imperio, in Daciæ limitibus conſtiterunt. Atque id in cauſa eſſe, quod ſiculi diſtinctis a cetera Hungarorum gente legibus ſemper uſi ſint. Nos inveteratæ huic opinioni nil detractum volumus: quando palam eſt, Inclitam hanc gentem multorum omni ævo heroum matrem extitiſſe, bellicæque virtutis ac fortitudinis laude Atilanis majoribus ſe ſe digniſſimam probaſſe. Ut domeſtici ſcriptores fidem faciunt.

Pars fugitivorum altera ſociorum exempla ſecuti, ab eodem Rege obtenta venia Tataro Duce in Hungariam ſe transtulere, latiſſimosque ultra Tibiſcum campos, ubi hodie Cumania major, colendos accepere An. Chr. MCXXIV. Maxima denique Cumanorum in Hungariam tranſitio accidit Kutheno gentis Regulo, cum Tartarorum metu An. Chr. MCCXXXIX. Belæ hujus nominis *IV.* Regis fidei ſeſe permiſere ultra Peſtinum, qua nunc Cumania minor, diſtributi. A) Atque hæ Pacinacitarum ſive Cumanorum fuere viciſſitudines. Sunt, qui alia longe de Siculis & Jazygibus tradant, ſed quæ a vero diſcedere facile quis-

que

A) Ut uno in conſpectu Cumanorum Hungariam colentium terras habeas. Sita eſt Jazygia inter Heveſienſem & Peſtienſem provincias, exigua veteris Jazygiæ Portio. Cumania major ultra Tibiſcum jacet: Szabolchienſi, Biharienſi, Békeſienſi atque Szolnokienſi Comitatibus coercita. Cumania minor ab Oriente Csongradienſi: a meridie Bachienſi: ab Occidente Solthenſi: a Septemtrione Peſtienſi Provincia cingitur. Vide Geograph. Hung. compend.

que reperiet, ſi modo vel ea, quæ ex Conſtantino Porphyrogenita, aliisve Scriptoribus Græcis in patriis Annalibus ad annos citatos diſputata ſunt paulo diligentius evolverit. Hæc quidem multo tardius accidere, huc tamen referri oportuit, ut uno in conſpectu cunctos Pacinacitarum poſteros haberemus. A) Sed ad Hungaros redeamus.

Quæ reipublicæ ratio apud Hungaros?

VIII. Priusquam ex occupata recens Hungaria bellum omnem in partem traducere occiperent Hungari, placuit rempublicam certis temperare legibus. Ante omnia Regionem armis ſanguineque ſuo partam ex æquo inter ſe diviſere. Arpado ejusque ſtirpi

A) Pacinacitas poſt profligatos Turcas Regionem Beſſarabiæ Moldaviæque reſpondentem obtinuiſſe, ut alios taceam, Porphyrogenita teſtis eſt. Terram hanc omnem Cumaniam Magnam appellatam hincque ſub S. Salomone S. Ladislao ceterisque Regibus, procurſiones Cumanorum in Hungariam factas, notius eſt, quam ut probari oporteat. Quidni igitur Cumani noſtri Pacinacitarum ſint poſteri?

ſtirpi transdanubiana Regio, in cujus centro Alba Regia, obtigit: Dynaſtis reliquis cæteræ partes: a) Singulis adhæc Militibus, quod pari omnes gauderent nobilitate, fundi poſſeſſionesque viritim diſtributæ: veteres regionis incolæ ad colendum rus, Hungarisque ſerviendum damnati. Milites non minus quam Dynaſtæ ab omni tributorum vectigaliumque ſpecie abſoluti fuere; quoties tamen vel communis ſalus, vel Arpadiani Ducis juſſa ferebant, in caſtra convenire ſuisque merere ſtipendiis cogebantur. Conſtituti eum in finem Militiæ Præfecti, qui rem bellicam ſedulo curarent: his bini additi Judices alter Gylas: Calchan dictus alter, quorum munus eſſet civiles cauſas

cogno-

a) Qua ratione Dynaſtæ ſeu Duces Regionem inter ſe partiti ſint, vide apud M. Thurocziium P. II. cap. III. Ducum autem hæc recenſentur nomina, Arpad filius Almi, Zabolch filius Eleud, ex quo gens Csakiana, Kurzan filius Kund, Ete filius Ound, Leel filius Toſu, Huba unde genus Zemere, denique Tuhuti filius Horca, ex quo Gyula & Zombor. Conſule etiam Anonym. Belæ Regis notarium.

cognoſcere, ac ex æquo definire, in ſceleratos & legum violatores pro delicti gravitate animadvertere; neque tamen quidquam per id Arpadianorum Ducum authoritati detractum, quorum ſumma ſemper fuit domi foriſque poteſtas, quæ regiminis ratio usque ad Divi Stephani Regis ætatem perduravit.

Quo ſucceſſu geſta bella usque ad tempora Ottonis Cæſaris?

IX. Rebus ita domi compoſitis, Hungari belli gloriæ appetentes continuis incurſionibus Carentaniam, Italiam, Bajoariam, Saxoniam cæteraſque Provincias devaſtabant, nihil ut ab eorum furore tutum foret. Ludovicum Germaniæ Regem, qui eisdem copias opponere auſus fuit, ad Lycum amnem profligatum, tributum annuum ſibi pendere coegerunt. A. C. CMI. ſexennio poſt florentiſſimum ejus exercitum internecione delevere. Ex eo tempore impune Hungaris graſſari licuit, nemine reſiſtere auſo, usque ad Henrici Aucupis ætatem, qui attritas tot cladibus Imperii Romani vires reparare, jacentesque Germanorum animos inſtitutis equeſtribus

ludis

ludis ad bellicæ virtutis laudem excitare conatus fuit. 4) Ut primum Regnum ille adierat, tributum velut ab Imperii dignitate alienum negavit, quo irritati Hungari exercitum Saxoniæ infundunt; at exitu minus proſpero; forte enim Dux Zoltanus Arpadi filius ex inſidiis interceptus in Germanorum venerat poteſtatem: quo comperto Hungari poſita extemplo ferocia, ad preces converſi immenſam auri vim Cæſari pro Duce offerunt. Ille, quod ſe nondum ſatis ad vim potentiſſimæ gentis ſuſtinendam comparatum videret, ut aliquo ſibi eam beneficio obſtringeret, induciis in annos novem compoſitis, Zoltanum ſine litro ſuis incolumem reſtituit. Ann. Chr. CMXXVI.

---

4) Ab Equeſtrium ludorum inſtitutione artis Heraldicæ originem repetunt plerique rei ſcutariæ interpretes. Illud minus exploratum a Gallisne primum an a Germanis eorum uſus introductus. Lege Hoppingkium de inſignium ſive armorum priſco & novo Jure. J. A. Rudolphi Heraldicam Curioſam, Spennerum, tractatus P. Meneſtrierii e S. J. quo nemo diligentius origenes legesque rei Heraldicæ indagavit.

CMXXVI. Utiliſſimæ Hungaris eſſe poterant eæ induciæ, ac ad ampliſſimum Regnum ſuum ſtabiliendum opportuniſſimæ; Verum gens inquies, ut erat alieni appetentior, quam ſui ſtudioſa, nondum evoluto pacis tempore, munera & vectigalia ab Henrico poſtularunt: Cæſar quod plurimas Legiones diſciplina militari egregie excultas haberet, intolerandam eorum arrogantiam non ſine ſtomacho rejecit: ſatis id erat, ut Hungari conſcripto ex centum millibus exercitu duas in partes diviſi cædes & incendia per utramque ſpargerent Saxoniam: Henricus ſolutis ordinibus incedentes juſto cum exercitu adoritur, cæſisque XXX. hoſtium millibus victoria potitus, recta in alteram Hungarorum partem copias ducit, ſimilique edita ſtrage, geminum de Hungaris triumphum egit. Tantæ cladis fama per Germaniam ſparſa, cæteris quoque populis ad vim propulſandam crevere animi, ut adeo & a Carentanis & a Bajoariis non ſemel inſigni cum jactura rejecti fuerint Hungari, identidem ad conſuetam populandi licentiam revertentes. Paulo

lo felicius res acta in Italia & Thracia; Berengarius Italiæ Rex denis nummorum modiis pacem ab Hungaris redemit, Bizantini etiam magnis eandam muneribus in quinquennium mercati ſunt. Atque hoc tempore circum An. Chr. CMXLIII. Boloſudes militiæ Hungarorum Præfectus & Gylas (ſive Judex apud ſuos, ſive Tranſilvanorum Dux *nil* moror) Conſtantinopoli Baptismum ſuſcepiſſe narrantur; verum domum reduces ejurata, quam ſimulata mente amplexi fuere, fide, ad priſtinas gentilium ſuperſtitiones ſunt reverſi, inanesque reddidere Græcorum conatus ad propagandam inter Hungaros Chriſtianam religionem. A)

D X.

A) Gyulæ Baptismo Chriſtianitatis apud Hungaros initia tribuit C. Schvartzius, cenſet quippe ejus filiam Sarolttam Patris exemplo Chriſtianam factam, ſubinde Geiſæ Duci Hungarorum viro ſuo, ut Baptismum ſuſciperet, perſuaſiſſe: verum ut alia, quæ viri doctiſſimi ſententiæ huic opponunt præteream, qui fieri potuit, ut Gyula ita ex animo Chriſto adhæreret; qui filium Gyulam juniorem hære-

deni

Quæ occaſio pacis cum Ottone Cæſare?

X. Latinis nempe, apud quos miro Dei beneficio Sacro-Sanctæ Religionis puritas integritasque invariata perſtitit, ea debebatur gloria: quod, ut acciderit, mox exequemur. Ottone Cæſare poſt Henricum rerum in Germania potiente, Luitolphus filius graviſſimam in Patrem conciverat ſeditionem, quoque eum undique concluderet, præter alias gentes Hungaros pariter maximis pollicitationibus in fœdiſſimi belli ſocietatem evocaverat. Adfuit ex templo Toxis Hungarorum Dux, Ottonemque Auguſtæ Vindelicorum agentem arctiſſima cinxit obſidione. Ancipiti hoc rerum ſuarum poſitu nil turbatus Cæſar, tridui jejunio aliisque pietatis operibus propitiato Numine, militem ipſe in hoſtem ducit, acerrimoque plurium horarum certamine Victor caſtris potitur. Multa cum Hungarorum millia cæſa aut capta: quos inter præcipui Boloſudes, Leelus, atque Bo-

dem reliquerit, inſanum ſuperſtitionum avitarum propugnatorem, quarum cauſa bello ſubinde D. Stephanum Regem appetiit?

Botondus, probroſo Ducibus mortis genere in furcam acti periere. An. Chr. CMLV. Strage hac, & quam paulo ſerius in Thracia a Græcis perpeſſi fuerunt, mitiores redditi Hungari, aliquantum ab incurſionibus ſemet abſtinuerunt. Quin & ipſe Dux Toxis adverſam toties expertus fortunam, ne intempeſtivis belli conſiliis res Hungaricas corrumperet, pacem cum Ottone Cæſare icit An. Chr. CMLXXI.

Quæ prima opportunitas promulgandæ inter Hungaros legis Chriſtianæ?

XI. Malacia hæc occaſio fuit Viris Apoſtolicis curas ſuas ad vineam Chriſti Hungaricam porrigendi: Sacræ hujus expeditionis ſignum ſuſtulit S. Volfgangus Ordinis S. Benedicti Monachus; ſed cum incenſus illius zelus ob ferocem Toxis animum optato careret fructu, re infecta domum, atque inde ad Inſulas Ratisbonenſes abiit. Commodum per id tempus Toxis Dux vivere deſiit, regnumque filio Geiſæ moderandum tradidit: proniora hoc imperante fuere omnia: quod ei & manſuetior indoles, & major procurandæ ſuis felicitatis ſollicitudo inerat. Videbat ac una dolebat, ſolos eſſe

propagatam ſtabilitamque fuiſſe, quod ejus ætatis Scriptorum teſtimonia, indubitata veritatis monumenta, ac perpetua denique Hungarorum traditio adeo luculente demonſtrat, ut media in luce hominem cæcutire neceſſe ſit, qui his omnibus fidem derogare auſit. A)

Quæ ſtudia Geiſæ ad firmandam rem Chriſtianam?

XIII. Interea Geiſa veræ fidei lumen ſingulari miſerentis Dei beneficio conſecutus, ad promovendam rem Chriſtianam toto incubuit ſtudio: currenti ſua ſponte calcar addidit, viasque id perficiendi explicuit D. Adalbertus Pragenſium Antiſtes, tum forte in Pannoniam delatus, per quem etiam, non ſine prodigiis Strigonii in lucem editus D. Stephanus Ann. Chr. CM.

A) Graviſſima in eam ſententiam rationum momenta videri poſſunt apud P. Carolum Péterfi e S. J. Concilior. T. I. P. Joann. Stiltingum e S. J. in vita S. Stephani. Illuſtr. Franciſc. Adam. Kollar. Auguſtæ a Conſiliis in Hiſtoria diplomatica Juris Patronatûs Reg. Hung. Lib. I. P. Georgium Pray in Annal. Vetes. Parte III. pag. 395. ac denique Cl. Joſephum Pezzur in Hungaria ſemper libera.

CMLXXXIII. Baptiſmate initiatus fuit. Recens natus Princeps ab eodem D. Adalberto Inſtitutorem obtinuit Pappatem, in cujus diſciplina quantum profecerit, inſignis poſtea ſanctimonia & præclaræ regendi dotes palam faciunt. Quoniam autem amplior erat vinea, quam ut pauci, qui aderant, ei colendæ ſufficerent operarii: magno numero D. Benedicti filios e Bohemia accivit Geiſa; eique nobiliſſimum in Sacro Pannoniæ monte ſtruere cœnobium inſtituit, quod ſubinde Seminarii inſtar fuit, e quo non Apoſtolici modo viri plurimi, verum etiam Eccleſiarum Antiſtites longo tempore legi conſueverunt. Libens id commemoro, ut quantum Sacro huic ordini debeat Hungaria, omnis vel me præcone intelligat. Lentius nihilominus ibant omnia, quam piiſſimi Ducis optaret zelus, quod Dynaſtarum præcipui licentiæ aſſueti, a vitæ Chriſtianæ rigore abhorrerent: neque deerant, qui ad tuendas ſuperſtitiones vim pararent. Ea re tempeſtive cognita, Geiſa clam dimiſſis in omnem partem nunciis, Viros illuſtres potentesque e Vicinis regnis

& provinciis in Hungariam invitavit: nec mora multi Duces & Comites numeroſo ſtipati milite, e Germania potiſſimum advolant, rei Chriſtianæ præſidio futuri, quos Geiſa, ut apud ſe retineret, non modo opibus ampliſſimis excoluit, verum etiam præcipuis in Regno dignitatibus admovit. A)

Quibus artibus regnum filio ſtabilivit?

XIV. Tam potentium advenarum auctus ſuppetiis, curas omnes ad firmandam filio ſucceſſionem traduxit providus pater: etſi enim Arpadiani ſanguinis jure, nemo D. Stephano præhaberi poterat: merito tamen vereri debuit, ne Chriſtianæ Religionis obtentu ab avito ſolio per gentiles remo-

A) Inter advenas præcipui fuere: Deodatus Comes S. Severini ex Apulia, Patrinus S. Stephani, ac idcirco Tata ab eo appellari ſolitus, Volphgerus & Hedericus Fratres Comites de Haumburg, Vencellinus Comes de Vaizenburg e Bavaria, cujus poſteri Jaſco dicti, Hund & Paznan e Germania Equitum honore inſignes, Hermannus denique Norimbergenſis. M. Thuroczius P. II. Cap. X. & ſequentibus.

moveretur. Quapropter convocatis Hungaris æque, ac advenis optimatibus, filium ſucceſſorem nominavit: quod cum prona ab omnibus acceptum fuiſſet voluntate, fidei Sacramentum a ſingulis novo hæredi præſtari voluit. A) Neque hic illius conſtitere curæ: fæderibus, & affinitatis nexibus vicinarum gentium Principes D. Stephano filio conciliavit: nobiliſſimam illi ſponſam deſtinavit Henrici rixoſi Bavariæ Ducis filiam, & ſororem S. Henrici Imperatoris: Filiabus opportunos rebus ſuis ſponſos deſignavit; Judithæ Boleslaum Polonorum Ducem, Saroltæ Samuelem Abam, potentiſſimum Hungariæ ſuperioris Dynaſtàm, recens ad Chriſtum converſum. Giſelæ denique Ottonem Veneto-

---

A) „ Tranſacta *inquit Cartbuitius Epiſcopus* „ pueritia poſtquam gradum Adoleſcentiæ primum „ aſcendit, convocatis Pater ſuus *Geiſa* Primati„ bus cum ordine ſequenti, per communis Conſi„ lium colloquii filium ſuum Stephanum poſt ſe „ regnaturum populo præfecit & ad hoc corrobo„ randum a ſingulis Sacramentum exegit. In Vita „ S. Stephani Cap. I. §. V. „

netorum Ducem A) quem alias Guilielmum Pictavienſem dixere, quæ connubia, etſi non omnia vivo Geiſa, ex ejus tamen Conſilio coaluere. Neque dubitandum eſt, curas eum ſuas porrexiſſe ad devinciendos D. Stephano binos Michaëlis fratris filios Vazulem & Ladislaum Calvum, quos illa Regiminis communione Semotos voluit: ac ille quidem absque prole deceſſit: hic ſuſceptis tribus filiis Andrea, Leventa & Bela regiam Arpadi ſtirpem feliciſſime propagavit.

Quando diem ſuum obiit?

XV. Ita omnibus ex ſententia geſtis, jactis religionis Chriſtianæ fundamentis, D. Stephano filio hærede conſtituto, meritis plenus e vivis exceſſit An. Chr. CMXCVII. vidua relicta conjuge altera Adelhaide, Micicislai Poloniæ Ducis ſorore, ob formæ venuſtatem Beleknegina Slavice nuncupata, quam, Sarolta Senioris Gyulæ Tranſilvanorum

A) Dandulus in Chronico apud Muratorium Tomo XII.

norum Ducis filia demortua, provectiore jam ætate connubio ſibi copularat.

TABULA GENEALOGICA
STIRPIS ARPADIANÆ.

Almus

Arpád

Liuntica | Tarkatz | Jelech | Jutotzas | Zoltan

Tehel | Ezelech | Phalitzim | Toxis

Termatz | Phales | Taſes

Geiſa alias Dejeux | Michaël

NOTI-

NOTITIA RERUM HUNGARICARUM.

HUNGARIA NOVA.

Prima ſeu Domeſtica Arpadiana Regum Hungariæ Periodus.

PROOEMIUM.

I.

Quis ſtatus novæ Hungariæ generatim?

EXplicatis compendio Hunnorum, Avarum, & Hungarorum adhuc gentilium rebus, novæ Hungariæ Hiſtoriam a Regno D. Stephani ordiemur, qui ethnicis ſuperſtitionibus abolitis, ſuis potiſſimum laboribus ſtabilita religione Chriſtiana, primus Regios ſumſit titulos, novamque rempublicam adeo provide ſapienterque ordinavit, ut, qui in Regno illi poſtea ſucceſſerant, ejusdem facta, inſtitutaque pro legum ſuarum norma adſciſce-

ſcerent: Hungari autem diu quam religioſiſſime obſervarent. Et vero non parum ad ſanctiſſimi Regis noſtri gloriam facit, quod introducta per eum regiminis ratio quoad præcipua capita etiamnum perſeveret: Religio vero Chriſtiano Catholica, & conſtans cum cæterarum Matre ac Magiſtra Eccleſia Romana conſenſio quingentis, & amplius annis firma integraque ſtetit, hæreſes *ignoratæ* penitus. Hæc fidei unitas XVI. poſt Chriſtum ſeculo, per inductam Luthero & Calvino Ducibus reformationem ſciſſa fuit: id quod diuturnis deinde bellis & calamitatibus occaſionem præbuit. At enim Religio Romano Catholica Principem ſemper tenuit locum, atque in dies ad priſtinum Chriſti ovile redeuntium numero effloreſcit. Regnum, quod ſat diffuſum ſucceſſoribus reliquit D. Stephanus, varias ſuſtinuit vices: quorundam Regum virtute, prudentia, fortitudine, ac felicitate ad ſummum humanæ potentiæ apicem conſcenderat: aliorum vero improbitate aut ignavia, accedentibus inteſtinis motibus, graviſſime concuſſum, parum non raro diſta-

diſtabat ab interitu; id quod inſtituta brevitate explicare noſter modo labor erit.

In quot claſſes ſive periodos univerſa Regum ſeries diſpeſci poteſt?

II. Triplex autem fuit regum ſibi ſuccedentium claſſis: quapropter etiam res ab iis geſtas in totidem diſtribuemus partes: Prima trium ſeculorum continet intervallum, quo domeſtici ſeu Arpadiani ſanguinis Principes ab An. Chr. CMXCVII. usque ad An. Chr. MCCC. ſceptrum tenuerunt. Altera eorum Regum geſta abſolvet, qui demortua in Andrea III. virili Regum ſtirpe, variis e domibus per libera gentis ſuffragia ad ſolium pervenere, ac idcirco mixta dicitur. Tertia demum Auſtriaca e domo accitos Reges complectitur, qui ab obitu Joannis Zápolyæ partim electionis, partim ſucceſſionis hæreditariæ jure, Hungaris non interrupta ſerie dominati ſunt.

Quo jure Hungaris præfuere Arpadiani Principes?

III. Prima hac periodo, ſi Petrum & Samuelem Abam demas, ſoli Arpadianæ ſtirpis Principes per trecentos & amplius annos Hungaris imperarunt: hæreditario ne an electivo jure id factum fuerit; diſceptatur

ptatur hodie. Succeſſionem hæreditariam tum obtinuiſſe, ſuadet imprimis pactio illa Hungaros inter ac Arpadum Ducem Almi filium Ann. Chr. DCCCLXXXVII. inita, qua ceteros inter ſcriptores, teſte Anonymo Belæ Regis Notario, cautum fuerat, *ut quamdiu vita duraret tam ipſis, quam poſteris ſuis, ſemper Ducem haberent de progenie Almi Ducis.* Suadet hanc inſuper ſeries illa continua Regum ſtirpis Arpadianæ religioſiſſime ab Hungaris obſervata. Ea enim ſuperſtite, nunquam Hungaris in mentem venerat, aliena e Domo Principes ad ſolium evocare. Nec parum ad probandam ſucceſſionem hæreditariam facere videtur, luculentum Geiſæ II. Regis teſtimonium, qui ſolenne Diploma, quod An. Chr. MCXLVIII. regni autem ſui Anno VIII. Capitulo Veterobudenſi dederat, ſic orditur: *Ego Geiſa II. ſecundi Belæ Regis filius divina diſpoſitione ſceptra paterni Regni Jure hæreditario obtinens* &cet. A). Quæ loquendi formula

A) In Epiſcopis Agrienſibus Nicolai Schmidt e S. J. Tom. I. pag. 60.

la, ſolenni diplomati non temere inſerta, graviſſimo eſſe poteſt argumento, Hungaros ea ætate regnum Hungariæ ſtirpi Regiæ Arpadianæ Virili hæreditarium exiſtimaſſe. Atque hæc ſunt pro ſucceſſione hæreditaria probanda. Verum ex adverſo, ſi quis ad uſitatam tota hac periodo electionem, ſolennemque inaugurationem advertat animum: ſi in cauſam inquirat, cur Reges ſumma ſollicitudine in id incubuerint, ut filios ſuos ab ordinibus Regni eligi coronarique in vivis adhuc impetrarent: ſi denique perpendat, ſceptrum non ſemper a Patribus ad filios primogenitos transmitti conſueviſſe: ſoli omnino electioni ea ætate locum fuiſſe putabit. Quid igitur in re tam ancipiti pronunciandum erit? Equidem haud a vero aberraturum eum puto, qui ſenſerit, hæreditariam quidem fuiſſe familiæ Regiæ Arpadianæ in Hungaria primæ periodi intervallo ſucceſſionem, ſed nonnullis affectam conditionibus limitibusque circumſcriptam. Non licebat quidem Hungaris Regiæ Domus ſuæ Principes a Regno excludere; liberum tamen eis fuit, gravibus

de

de cauſis, ſecundo genitos primogenitis præferre, aut etiam præteritis, ſi forte minus idonei erant, Regum filiis, S. Coronam Regum fratribus imponere. A) Præterea oportuit novos Reges ab ordinibus Regni in Comitiis recipi, ac ſolenni ritu Divi Stephani diademate in ipſo regni aditu inaugurari: qui mos adeo ſanƈte tum obſervatus fuit, ut apud Hungaros nullam vim obtinerent ea privilegia, quæ edita fuiſſent a Rege Corona Divi Stephani non redimito B). Itaque in prima æque ac ſecunda Regum Periodo e Patriis ſcriptoribus uſitatum fuiſſe conſtat: ut ad juſta funebria defunƈto Regi perſolvenda univerſi Regni ordines Albam Regiam confluerent: quibus

E ter-

A) Confer hic ea, quæ D. Stephanus Monito IV. de humanitate adverſus Proceres explicat, quæque nos inferius in rebus D. Stephani recenſemus. Item quæ ſub Petro, Salomone, S. Ladislao R. accidiſſe narrabimus.

B) Inſpice Tripartitum & Codicem juris Patrii: ubi adnotatum reperies, quorum nam Regum privilegia robore deſtituta ſint.

terminatis, mox Comitia de ſucceſſore optando habebantur: ſtatuto ſubinde die, inter Miſſarum ſolennia ter repetita ſenatus populique Hungarici rogatione, acclamatus novus Rex a Strigonienſi Archiepiſcopo ungi ſacraque D. Stephani corona inaugurari conſuevit. Quo tempore univerſi Regni ordines Principi ſuo Sacramentum fidei nuncupabant; ipſe autem eos de uſitata tum forma regiminis, nonnullisque exemptionibus, & privilegiis cuſtodiendis interpoſito jure jurando ſecuros reddebat. Immunitates has ac prærogativas gentis Hungaricæ, ne pro arbitrio mutari augerive aliquando poſſent, neve hac ratione Regia poteſtas infra dignitatem reſtricta ſenſim tolleretur, Andreas II. Hieroſolimitanus dictus An. Chr. MCCXXII. communi gentis conſenſu in certa capita digeſſit, ac ſolenni cum edito Diplomate, quod *Bullam auream* dicimus, complexus, vulgavit: Ex eo tempore ad hujus diplomatis capitum obſervationem, qui Andream II. in Regno conſecuti ſunt, Hungariæ Reges inaugurationis ſuæ tempore ſemet obſtringebant,

usque

usque dum in tertia ſive Auſtriaca Regum Periodo An. Chr. MDCLXXXVII. Articulus XXXI. ut ſuo loco Parte III. narraturi ſumus, expunctus fuit. Atque ex his ſat clare, ut opinor, intelligi poterit. Prima ſeu Arpadiana Periodo durante, ſucceſſionem Regum Hungariæ ex *hæreditario* familiæ Regiæ Arpadianæ, & *electivo* Perſonæ ejusdem ſtirpis *Jure mixtam* in uſu fuiſſe. A) Exſtincta autem in Andrea III. An. Chr. MCCCI. Virili Arpadiana ſtirpe, liberrimum fuit Hungaris, quacunque ex Domo Regem ad ſolium evocare: neque ullum tum adhuc fœminis earumque hæredibus jus ad Regnum Hungaricum

A) Conſimilis huic ſucceſſionis in Regno Hungariæ forma Auguſtæ Domui Auſtriacæ aquiſita fuit per pacta inter Maximilianum I. Cæſarem & Ordines Regni An. Chr. MCCCCXCI. die VII. Novembris inita: quibus Hungari ita Regnum ſuum Aug. Domui Auſtriacæ hæreditarium fecerant, ut nihilominus libertatem ſibi retinuerint, non obſervato primogenitorum jure, quemcunque vellent ex eadem Aug. Domo Regem ſibi eligendi: qua ſubinde ſemet An. Chr. MDCLXXXVII. ſponte exuere, ut ſuis locis narraturi ſumus Parte III.

nitus interiit. Pluribus poſtea annis diſſidiorum domeſticorum, bellorumque tumultibus agitata Hungaria, nonniſi ſub glorioſiſſimo Rege S. Ladislao ad quietem tranquillitatemque revocata fuit. Crevit ex eo tempore Regni Hungarici potentia novis ditionum acceſſionibus, usque ad Andreæ II. Hieroſolimitani ætatem, cujus conniventia, peſſimorumque Aulæ adminiſtrorum fraude, plurimis S. Coronæ bonis alienatis, exhauſto ad fundum usque ærario, corrupta penitus moneta, incredibilis egeſtas, ac jurium, rerumque omnium perturbatio enata fuit. Quæ mala quia remediis paulo durioribus curare aggreſſus fuit Bela IV. Rex, ingentem apud ſuos incurrit invidiam. Ad malorum domeſticorum cumulum acceſſit funeſta illa toti Hungariæ An. Chr. MCCXLI. irruptio tartarorum, qui Regnum peſſime in communi illa perturbatione ad defenſionem comparatum biennio toto cædibus & incendiis evaſtando, pene in ſolitudinem redegere. Squallorem tum inductum novis e Germania, Bohemia, Polonia, evocatis coloniis,

ſapien-

ſapientiſſimisque legibus conſtitutis, utcunque abſterſerat paterna Belæ IV. ſollicitudo: bellicam autem gloriam tum obſcuratam pluribus victoriis reportatis genti Hungaricæ reſtituerat ejus filius Stephanus V. At qui huic in ſolio ſucceſſit Ladislaus IV. in ipſa adoleſcentia aſſentatorum Aulæ ſcelere corruptus, poſtquam proculcata Sacroſancta thori fide, in vagas libidines effuſus fuit, non modo peſſimo vitæ exemplo flagitiis omnibus viam aperuit; verum etiam ob neglectas Reipublicæ ſibi creditæ curas, Regni Hungarici potentiam Majeſtatemque in ruinam impulit. Turbis enim tum enatis, longaque annorum ſerie perdurantibus, complures ſubditarum S. Coronæ provinciarum Reguli aut præfecti, excuſſo ſenſim jugo ab obedientia Hungariæ ſemet abſtraxere. Vulnera ea tempeſtate Hungariæ illata adeo atrocia fuere, ut non niſi in altera Regum Hung. Periodo, Ludovico Magno Rege imperante, quo nemo unquam Regum felicior potentiorve fuit, curari potuerint.

Quæ turbarum domi cauſæ?

V. Domeſtica diſſidia, bellaque inteſtina quibus non raro Regnum Hungaricum conflictatum fuit, plurimis rei benegerendæ; ſtabiliendique dominatus occaſiones Regibus noſtris eripuere. Quas quidem turbas ſi quis ſolis Hungaris fuiſſe proprias criminetur, profecto eorum temporum univerſalis Hiſtoriæ ſeſe ignarum demonſtrat. Nullum certe rudiſſimis iis ætatibus Europæ Regnum a turbis inteſtinis eximium fuit: ubivis tum domi lites, diſſidia, cædes, direptiones mutuas obtinuiſſe, plena eſt exemplis vetuſtas: ut taceam Italiæ, Galliæ ſeptemtrionaliumque populorum inteſtinos tumultus, ſi quis vel ſolius Imperii Romano germanici fata & viciſſitudines, priusquam rei ſumma ad Rudolphum I. Habsburgicum devoluta fuit, ſibi ob oculos ponat, ab inurenda Genti Hungariæ Seditionis nota procul dubio abſtinebit. Turbarum porro apud Hungaros eædem fere, quæ alibi gentium per Europam, fuere cauſæ: ſæpe Regum improbitas aut ſæviendi libido pacem domo profligavit. Sæpe Regii ſanguinis Principes bel-

lis

lis inteſtinis facem accendere: dum aſſignato ſibi patrimonio non contenti, ad ſolium aſpirarunt: hinc non raro evenit, ut filii Principes in Reges Parenteſque ſuos arma corriperent; Patrui cum nepotibus, ac denique fratres agnative Principes inter ſe infeſtis ſignis concurrerent: ut Andreæ I. Salomonis, Geiſæ II. Stephani III. Emerici, Andreæ II. & Belæ IV. temporibus factum fuiſſe narrabitur. Interdum Peſſimi aulæ Adminiſtri: poſthabita Reipublicæ cura, privatæ ſuæ rei augendæ ſtudioſi, ut ſe Regibus ſuis neceſſarios facerent; hos autem ſibi viciſſim obnoxios redderent captivoſque quaſi tenerent, injectis dextre per conficta aut exaggerata crimina ſuſpicionibus, nunc hos, nunc illos e potentioribus, quorum facultatibus inhiabant, modo gentem univerſam Regibus ſuis ſuſpectam reddere adnitebantur. Non deerant ex adverſo, qui funeſto ſane deteſtandoque vaticinio peſſima quæque de Regum animo popularibus ſuis ingerendo: atrociſſima in perniciem gentis conſilia e ſuo cerebro conficta Regibus tribuendo, hæc-

que pro veris ſpargendo, gentem univerſam in Sacroſanctos Principes ſuos concitavere A) His artibus ſublata mutua illa, Reges inter & ſubditos, caput inter ac membra fiducia, quidni ſeditiones enaſci oportuit? Ceterum, ut, quod ſentio, libere proferam, malorum omnium fons fuit literarum bonarumque artium neglectus: cum enim nulla tum eſſent gymnaſia, nulli ſcientiarum profeſſores, literatura omnis Hungariæ pene in ſolis monaſteriis Antiſtitumque aulis concluſa latebat, adeo ut regnante ubivis ignorantia, viri primæ nobilitatis legendi ſcribendive rudes ad difficillima reipublicæ munera admoveri oporteret. Atque hæc domeſtica ignorantia occaſionem præbuit Regibus, exteros magno numero in Hungariam evocandi, dignita-

tibus

A) Id genus aſſentandi, calumniandive conſuetudinem, potiſſimam turbarum cauſam, tum obtinuiſſe, facile ſibi perſuadebit is, qui Decreti S. Stephani nominatim Caput LIII. & LIV. conſuluerit: ea item, quæ Salomonis & Colomani temporibus evenere.

cibus præficiendi, opibusque augendi, ob quod non raro exorta invidia in ſeditionem erupit. Cæteræ turbarum cauſæ: ut privatorum ambitio aut avaritia, collatæ Judæis rei monetariæ, ærarii Regii & vectigalium exigendorum præfecturæ, aliaque his affinia ex ipſa narrationis ſerie facile poterunt intelligi.

Quæ Regnorum acceſſiones factæ?

VI. Domeſtica hæc mala etſi graviſſima fuere, crevit nihilominus maximis incrementis ſub Arpadianæ Familiæ Regibus S. Coronæ Hungaricæ Majeſtas atque potentia. S. Stephanus devicto captoque, qui gentilium ſuperſtitionum retinendarum cauſa arma corripuerat, Gyula Duce Avunculo ſuo, Tranſilvaniam ſibi ſubjecit, regionemque omnem, ſi ſiculos ſuis in ſedibus peculiaribus legibus moribusve vivere juſſos demas, ad formam Hungariæ in Comitatus diviſit. Regnum Croatiæ partim armorum vi, partim pactione aquiſivit S. Ladislaus; Dalmatiam autem Colomanus: Rama ſeu Raſcia ſacræ Coronæ acceſſerat ſub Bela II. ammiſſa poſtea rurſus ad ob-

ſequium

ſequium rediit ſub Bela III. Serviam ſubegit Emericus. Gallitia & Lodomeria in jura titulosque Regum Hungariæ primum tranſiit Bela III. Imperante, tum vero Andreæ II. tempore ſolenniter nuncupato fidei Sacramento denuo Hungaris parere cepit. Cumaniam, quæ Beſſarabiæ Moldaviæque reſpondet, ſibi Religionique Sacroſanctæ obnoxiam reddidit Bela IV. Inſtituto illic Milkovienſi Epiſcopatu. Bulgaria fructus fuit earum Victoriarum, quæ Stephano V. Bulgarici nomen peperere A). Valachiam exiſtimo eodem cum Moldavia tempore ſubactam, certe prima periodo durante Hungaris clientela fuiſſe obnoxiam vel illud argumento eſt, quod Carolus I. Rex adverſus Bazaradum gentis Valachiæ regulum, Vectigalia pendere detrectantem bellum

A) De his titulorum & ditionum acceſſionibus conſule *Diſſertationem* noſtram *de M. Mariæ Thereſiæ ut Apoſtolicæ Hung. Reginæ titulis & inſignibus*, quam adjecimus ad calcem ſpeciminis *Progonologico genealogici AUG. Dom. Habsburgo Lotharingicæ* per nos aucti, continuati, editique Vindobonæ An. MDCCLXXIII. Typis Trattnerianis.

ſum obmoverit. Ex his quæ compendio hic explicuimus perſpicuum fore arbitror, quæ Hungarici Regni primæ periodi intervallo univerſim facies & fata fuerint: jam quid ſingulis ſub Regibus per trecentos & amplius annos accederit, qua licebit perſpicuitate brevitateque enarrabimus: a D. Stephano Rege ordiamur.

S. STEPHANUS
REX I.
A. C. CMXCVII.

S. STEPHANUS.

Quando, quamve amplum regnum adiit?

I.

Ut primum Dux Geiſa obiit, D. Stephanus exeunte pueritia, Regni Hungarici gubernacula Ducis titulo capeſſivit An. Chr. CMXCVII. nemine tum quidem reſiſtere auſo. Regni porro, quod tum adierat, fines ab ortu ad Tranſilvaniam, Savumque flumen: ab occaſu ad montem Cætium, amnemque Moravam; a Se-

S. STEPHANUS.

a Septemtrione ad montes Carpaticos: a meridie denique ad Croatas & Carentanos pertinuere.

Quibus ex cauſis enatæ turbæ?

II. Non multo poſt domeſtico difficilique bello implicari cæpit D. Stephanus: cum enim per ætatem conſilii eſſet inops, Patris ſui exemplo & commendatione, advenarum potiſſimum conſuetudine, & in dirigenda republica conſiliis utebatur, quod hi religione probisque moribus conſpicui eſſent, atque præ Hungaris præcipue gentilibus, magis rebus ſuis idonei viderentur. Opportunum illa tempeſtate adoleſcentis Ducis factum, gentis ſuæ contemtum interpretati Hungari, incredibile dictu quantis exarſerint odiis; diu ſub cineribus gliſcebat vindictæ rabies advenarum metu, qui lectiſſimis Chriſtianorum cohortibus teneri Principis ſecuritati invigilabant, donec numero & audacia creſcente, in apertam res erupit ſeditionem.

III.

III. Ubi conjuratorum comperit voluntatem Cupa, Dux Simeghienſis, opibus & auctoritate ſuos inter eminens, ultro ſe perfidis Ducem obtulit, quod homo ultra modum *ambitione laborans*, victoriam ſpe devoraret, brevique futurum putaret, ut tradacto in ordinem D. Stephano, Hungarico ſceptro potiretur. Ne quid autem machinarum omitteret, Adelhaidis, quam a Geiſa viduam relictam meminimus, nuptias aperte ambire cœpit: quo vero communem genti cauſam faceret, resque ſuas firmiores redderet, privatæ cupiditati ſuæ ſpecioſum tuendæ ſuperſtitionis avitæ velum prætexuit: nil hoc magnete validius cogitari fingive potuit: innumera mox gentilium multitudo ſub ejus ſigna confluxit, quibus brevi alii etiam acceſſere, quos legis Evangelicæ faſtidium inceſſerat.

S. STEPHANUS.

Quam peniciosa cupæ Ducis Simeghienſis hæc inter conſilia?

IV. Ad bellum adeo grave ac periculoſum propulſandum, non ſatis ſub ea Regni initia fuere comparatæ D. Stephani vires, nam præter advenas pauci e Dynaſtis Chriſtiani erant. In tanto itaque & Regni, &

Quam Proſpero exitu diſſipata?

S. STEPHANUS.

& Religionis diſcrimine cum parum in humanis videretur ineſſe præſidii, ad ſuperos converſus, decimas Provinciæ Simeghienſis Monaſterio S. Martini in monte Pannoniæ ſolenni ritu vovit, ſi a perfido hoſte victor evaderet: ſic tamen in Divina ope fiduciam collocavit; ut nihil diligentiæ ad conſcribendum militem, bellumque apparandum negligeret: poſt ubi juſto numero Chriſtiani ad Ducis ſigna confluxerant, pro recepto ea ætate more, ad granum flumen militari cingulo per Hundium & Paznanum initiatus, A) recta in hoſtem contendit. Concurſum eſt adverſis ſignis prope Veſprimium, diuque ancipiti certatum marte, dum denique Vencellinus Comes victoriam ad Chriſtianam traduceret aciem; fervente

enim

A) Militum ſingularis olim fuit dignitas, quæ Tironibus bello diu probatis; enſis & cinguli militaris traditione conferri ſolebat: citra hanc nemini copiis præeſſe licebat, Regum etiam filios adoleſcentiam ingreſſos, milites creari oportuit. Vide ſpecimen Herald. Hung. pag. 30. & 102. ritus autem tum uſitatos deſcribit Cl. Muratorius Antiquit. Ital. Tom. IV, Diſſ. LIII. de Inſtit. Milit.

enim ubique pugna, Cupam ſingulari victum certamine obtruncavit. Caſu Ducis rebelles concidere animis, metuque correpti in fuga ſalutem quæſiere. Multi tum capti victoris clementiam implorarunt: at ille ſatis habuit de conjuratorum præcipuis ſupplicium ſumſiſſe, cæteros facti pænitentes domum remiſit. Tam illuſtri potitus victoria D. Stephanus, actis Deo gratiis, voti ſemet Religione continuo exolvit, memoratumque cænobium novis reditibus, Regia plane munificentia dotavit, Aſtrico Abbate conſtituto, quem cum aliquot ſociis e Braünovienſi Bohemiæ Monaſterio in Hungariam acciverat. S. STEPHANUS.

V. Graviſſima tempeſtas tempori diſſipata, opportunos D. Stephano ſubjecit ſtimulos ad rempublicam non ſatis recte ad id temporis compoſitam, iis communiendam legibus, ut nil turbarum deinceps prudenter timeri poſſet. Verum quævis innovatio non vacabat periculo, apud præferocem, gentilique licentiæ aſſuetam gentem, niſi ante manſueſceret: illud itaque impri- Quæ primæ poſtea D. Stephani curæ?

S. STEPHANUS.

mis agendum putavit, ut everſa penitus ſuperſtitione, obnoxios ſibi populos mitiſſimæ JEſu Chriſti legi ſubjiceret, recte exiſtimans, nihil ad eos in officio continendos validius, firmiusque eſſe Evangelii placitis, quæ ſemel in animum demiſſa, jam æternarum pænarum metu, jam ſempiternæ mercedis ſpe obſtinatiſſimos etiam animos a vitiis ſumma efficacitate abductos, ad fidem, juſtitiamque colendam accendunt, eos autem, qui Divinis ex animo parent mandatis, facile eſt humanis quoque Principum juſſis reddere obſequentes: adeo nempe cunctis naturalis Philoſophiæ principiis potentiora certioraque ſunt illa, quæ ex Chriſtianæ Legis dictaminibus derivantur.

Quantus ad promovendam rem Chriſtianam ardor?

VI. Hæc cum eſſent piiſſimi Ducis ſenſa, curas omnes ad rem Chriſtianam convertit. Continuo per vicos, oppida, & provincias promulgatum edictum, ut omnes & ſinguli abjecto idolorum cultu, ad veri Dei obſequium tranſirent; dimiſſi in omnem partem magno numero Verbi Divini Præcones, quorum inſtitutionibus nemini fas

erat

S. STEPHANUS.

erat ſe ſubducere: his raro ſane atque immortali exemplo; Dux ipſe Stephanus acceſſit; poſita enim majeſtate, Apoſtolos immitatus, Provincias obire prædicando, quemque ſeorſim atque in communi monere, hortari rogareque; ferociores ſuavibus minis, aut præmiis invitare, omnia denique ita ſedulo agere, quaſi eo unice fine Principatum teneret, ut ſuis cum fide vera æternam procuraret felicitatem. Tanti Apoſtoli zelus non potuit non ubique lætiſſimos gignere fructus, ac vel ferociſſimos flectere: brevi tempore proſtratis idolorum delubris, JEſu Chriſti religio ſua ſuſtulit ſigna, nunquam deinceps ſtatione ſua dejicienda; A) ex quo pronum erit intellige-

 re,

A) Multum aberrant Scriptores Bavari cum D. Stephanum in Giſelæ conjugis gratiam Chriſto ſe adjunxiſſe tradunt. Ille infans baptismo ablutus fuit: gens vero Hungara tota propemodum Chriſtum colebat, cum nuptiæ cum Giſela celebratæ ſunt Schyræ in Bavaria An. Chr. MIII. nova ſponſa in Hungariam adducta pro Reginarum more inaugurata fuit. Teſte Charthuitio. Vide Ann. Reg. ad An. Chr. MI.

S. STEPHANUS.

re, quantum ad Religionem ſive conſervandam, ſive propagandam eorum, qui præſunt, recta fides, exempla, & ſtudia poſſint efficere.

Cur Aſtricus Romam legatus? quove ſucceſſu?

VII. Fauſtas has progreſſiones cum ſuis legeret oculis Dux Stephanus, quo cæpto feliciter operi perpetuam adderet ſtabilitatem, videbat Præſulum ſibi adhuc deeſſe præſidia, qui Regionem in Diæceſes diviſam, per ſe, ſuosque excolerent. At cum id citra Pontificis, Romani Eccleſiæ univerſæ Paſtoris authoritatem fieri non poſſe cerneret, quod per eam Sacræ jurisdictionis vim omnem propagari non ignoraret; Aſtricum S. Montis Pannoniæ nuper Abbatem, nunc Colocenſium Antiſtitem deſignatum, Romam dimiſit, duo petiturum a Pontifice: primum ut ſibi æque, ac ſucceſſoribus Regia uti liceret appellatione: A) Alte-

---

A) Aventinus & qui eum ſequuntur, aſſerunt, Regis appellationem Stephano conceſſam ab Henrico Cæſare, at perperam, ut oſtenditur in Ann. Reg. ad an. cit.

Alterum ut Eccleſias Diæceſesque pro locorum opportunitate per Hungariam erigere, limites earum definire, ac idoneos denique viros pro arbitrio præficere liberum foret. Appulſum Romam Aſtricum, vix dici poteſt, quanto acceperit gaudio Silveſter II. id temporis Romanus Pontifex, Divino ante præmonitus oraculo. A) Gente Hungara in ſuam adoptata protectionem, poſtulatis quam cumulatiſſime ſatisfecit: in Regiæ ſignum poteſtatis e ſolido conflatum auro, operis ſane mirifici, diadema dedit, B) ei, quo Græci Imperato- S. STEPHANUS.

F 3 res

A) Legi hæc non ſine voluptate poſſunt apud Charthuit. in Vit. S. Steph. floruit autem hic ſcriptor ineunte Seculo XII. provectaque jam ætate Colomani Regis juſſu, res S. Stephani conſcribere cœpit, ut ex præfatione colligitur.

B) Diadema Hungaricum donum eſſe Silveſtri Pontificis, ut alia taceam, Reges noſtri non una vice confeſſi ſunt: ſic Andreas II. ſcribens ad Jacobum Præneſtinum ſedis Apoſtolicæ legatum „*non a quo-* „*libet*, inquit, *ſed a Vicario JEſu Chriſti, &* „*Petri Beatiſſimi ſucceſſore per revelationem Divi-* „*nam*,

S. STEPHANUS.

res utebantur conſimile, A) a Conſtantino M. Imperatore olim dono datum, atque inter Sacros Eccleſiæ Romanæ Theſauros ad

eum

„ *nam ſummo Pontifici factam*, *aſſumſit* nempe Ste-„ phanus *Regni Diadema.*„ His conſimilia habet Ladislaus IV. quos Cl. Schvartzius mendaces faciat oportet, ſi evincere velit, e græcia advectam fuiſſe coronam.

A) De Imperatorio Græcorum Diademate hæc memoriæ prodidit Anna Comnena Alexii Comneni Cæſaris filia, Alexiad. pag. 79. edit. Pariſienſis: „ Imperatorium ſiquidem diadema hæmiſphærii in-„ ſtar perfecte rotundi, omni æque ex parte caput „ incingit, margaritis & generis cæteri gemmis par-„ tim inhærentibus, partim dependentibus ſpecio-„ ſiſſime ornatum: nam utrinque ad tempora ex „ margaritis & gemmis catenæ, ſeu ſeries catena-„ rum quædam imminet, & genas leviter verberat. „ Eſt autem iſtud genus quoddam ornamenti exi-„ mium & Imperatoribus proprium.„ Deſcriptio hæc, ut per ſe patet, apprime congruit noſtro Hungarico diademati; ut illud vulgavit Ill. Petrus de Reva. Vide Hiſtor. diplom. de Jure Patron. Reg. Hung. Lib. I. Cap. V. & ſequentibus. Porro laudatum Diadema Hungaricum LIII. Saphiris: balaſſis L. Smaragdo I. ac CCCXXXVIII. unionibus ornatur totaque moles appendit IX. marcas III. uncias.

S. STEPHANUS.

eum diem aſſervatum, huic ſceptrum adjecit ejusdem plane operis, atque originis: tum, ut Apoſtolicum prorſus D. Stephani Zelum remuneraretur, ac una, quantum in Chriſtiana illius prudentia collocaret fiduciæ, oſtenderet; legati Apoſtolici dignitate exornato, ſuas in condendis ac ordinandis Eccleſiis vices liberaliſſime commiſit; in cujus ſane quam eximii juris teſſeram, Crucis duplicatæ inſignia transmiſit, quæ Regibus noſtris cum in publicum prodeunt, hodiedum per Antiſtitum aliquem anteferri ſolet. A) Cuncta hæc complexus fuit Sylveſter elegantibus ſane litteris ad D. Stephanum, quas, quia doctiſſimi viri ab omni fraudis ſuſpicione abſolverunt, non eſt, cur quis pro germano Sylveſtri II. partu habere vereatur. B)

A) Ex hoc tempore expuncta aquila, Crux Apoſtolica inter inſignia Regia fulgere cæpit. Ita ut faſciatum ſcutum Regiæ ſtirpis Principum Regni una, Crux vero Regiæ dignitatis arma eſſent. Vide ſpecimen Herald. Hung.

B) Ibidem Cap. II.

S. STEPHANUS.

Quando coronatus D. Stephanus?

VIII. Hoc igitur tam inſigni diademate An. Chr. Milleſimo Aſſumtæ in Cœlos Virgini Sacro die ſumma cum celebritate redimitus fuit Strigonii D. Rex Stephanus. Qui ritus tum obſervati, nemo poſterorum memoriæ commendavit; at quoniam Hungaros antiqui moris ſemper fuiſſe quam retinentiſſimos conſtat: nil alienum eſt a vero dicere, easdem fere cæremonias in prima illa inauguratione fuiſſe adhibitas, quæ hodie fieri ſolent. A) Peractis coronationis ſolenniis, diadema, ſceptrum, pax aurea cum Cruce, ac quibus tum D. Stephanus fuit uſus, gladius, pallium & ſandalia, cum Pontificis Sylveſtri II. duplicibus litteris, aliisve ſcripturarum monumentis Albam Regiam translata, canonicorum ejus Baſilicæ Cuſtodiæ fuere tradita: verum ea cura multis obnoxia periculis, ultro volentesque ſubinde ceſſere Albenſes Canonici, ſacerque ille Theſaurus diu Viſſegradi

A) Qui ritus Albæ Regiæ in Coronatione adhiberi conſueverint, diſce ex Inhoffero e S. J. & Urſino Velio.

FACULTATEA DE DREPT SEMINARUL DE FILOSOFIA DREPTULUI ŞI SOCIOLOGIE CLUJ

gradi cuſtoditus fuit, unde Turcarum cauſa Poſonium traductus, ducentis & amplius annis in imminente urbi arce quieſcit, duorum Coronæ cuſtodum fidei creditus, Reges porro inaugurare proprium ſemper fuit Strigonienſibus Archi-Epiſcopis.

S. STEPHANUS.

IX. Nova auctus dignitate novus Rex, jure legationis Apoſtolicæ continuo in uſum deducto, Eccleſiam Hungaricam ordinare instituit, Regno omni in X. diſtributo Diœceſes: Strigonienſem Metropolim matrem & magiſtram eſſe voluit, cui Dominicum primum omnium Antiſtitem præfecit, reliquis quoque ſucceſſive idonei viri Præſules dati. A) Ut autem proniora Epiſcopis redderet initia, ſimul quid ab eis deinceps fieri

Quam ſapienter ordinata Eccleſia Hungarica?

F 5

A) Colocenſem Eccleſiam primus obtinuit Aſtricus, alio nomine Anaſtaſius, Agrienſem S. Buldus, vel ut alii malunt Katapranus. Quinque Eccleſienſem Bonipertus, Veſzprimienſem Stephanus, Jaurinenſem Modeſtus, Chanadienſem S. Gerardus; Nitrienſem, ut quibusdam placet Beſterthus. De primo Bachienſi, & Tranſilvanienſi Epiſcopo nondum ſatis exploratum eſt.

S. STEPHANUS.

ri vellet, ſuo ipſe commonſtraret exemplo, præter cathedrales Baſilicas, multas inſuper in Urbibus, oppidis, vicisque magno ſumtu excitavit Eccleſias, ſummaque munificentia dotavit, quas cum per curas licuit, ſingulis obire annis, ac ſi quid labefactatum deperditumque reperit, inſtaurare in more habuit.

Profana item reſpublica?

X. Interea dum ubique in ſtruendis ſacris ædibus fervent operæ, profanam rempublicam ordinare aggreſſus, habito optimatum conventu, A) quæ Principis, quæ Procerum nobiliumve eſſent jura, aut officia accurate deſcripſit. E Sacris æque, ac profanis viris ad id idoneis ſenatum regalem conflavit, cujus eſſet religionem primum Chri-

A) Mox a Coronatione ordinatam rempublicam, innuit Chartuitius iis verbis: „ poſt acceptum regalis Excellentiæ ſignum, qualis vitæ vir „ & diſcretionis fuerit, cum Epiſcopis & Primatibus Hungariæ ſtatutum a ſe Decretum manifeſtum fecit, in quo ſcilicet uniuscujusque culpæ „ contrarium dictavit antidotum. „ Cap. II. §. XIII.

Chriſtianam, tum juſtitiam legumque obſervationem tueri, ſuis Regi aſſiſtere conſiliis, ac non ejus modo, verum & regni commoda ſecuritatemque procurare. Præterea *Hungaria* in Provincias ſeu comitatus diviſa, A) ſingulis ſupremos præfecit Comites, Parochianos dictos, qui jus illic e legum præſcripto dicerent, regiosque reditus

S. STEPHANUS.

A) *De numero Comitatuum a D. Stephano inſtitutorum non ſatis conſtat, ſunt autem hodie in ſola Hungaria XLVIII. in parte cis Danubiana:* Poſonienſis, Nitrienſis, Trentſinienſis, Arvenſis, Liptovienſis, Zolienſis, Thuroczienſis, Barſienſis, Comaromienſis, Nagy & Kis Hontenſis Neogradienſis, Peſt Pilis & Solt uniti, Bacſienſis, Bodrogienſis. In Transdanubiana: Moſonienſis, Sopronienſis, Caſtriferrei, Szaladienſis, Veſprimienſis, Jaurinenſis, Strigonienſis, Alba Regalenſis, Tolnenſis, Simeghienſis, Baranyenſis. In cis Tibiſcana, Scepuenſis, Saroſienſis, Zemplinienſis, Unghenſis, Abaujvarienſis, Gömörienſis, Tornenſis Borſodienſis, Heves & Szólnok exterior uniti, Cſongradienſis. In Transtibiſcana denique: Temeſvarienſis, Cſanadienſis, Aradienſis, Zarandienſis, Bekeſienſis, Biharienſis, Kraſznenſis, Szolnok mediocris, Szathmarienſis, Szabolſenſis, Bereghienſis, Ugotſienſis, Maramaroſienſis. Vide Compend. Geogr. Hung.

S. STEPHANUS.

tus adminiſtrarent. Creati denique ad cæterarum morem aularum Magiſtratus Regni, quos Primates, aut Majores, Barones appellant. Hinc ſuam traxit originem Comitis Palatini, Judicis Curiæ, aliorumque dignitas, quorum numerus labentibus annis pro temporum rerumque rationibus auctus, diminutusve fuit. A) Inter Optimates autem præcipuas Antiſtitibus partes deferri voluit, quod eos Religione, probitate, fide ſapientiaque profanis hominibus præituros ſperabat. Tam ſublimi Præſulum

A) Olim hæ fuere dignitates poſt Comitem Palatinum; Judex Curiæ, Banus Illyrici ſeu Dalmatiæ Croatiæ & Sclavoniæ, Vayvoda Tranſilvaniæ, tum Magiſtri Tavernicorum, Pincernarum, Dapiferorum, Agazonum, Janitorum, Cubiculariorum, Curiæ Regiæ, Comites Temeſienſis & Poſonienſis, Limitanearum Provinciarum & Arcium Bani, ut: Bosniæ, Machoviæ, Zeurinii, Ruſzniæ & his accedebant uſitati apud Reginas Magiſtratus: ut Comitis Curialis, Tavernicorum, Dapiferorum, &cet. Reginalium Magiſtri. Paulo ſerius introducti S. Coronæ conſervatores duo, ac noviſſime in Comitiis Ann. MDCCLXV. prætorianæ ex Hungaris Nobilibus conflatæ turmæ Capitaneus.

ſulum dignitati, quo par eſſet auctoritas & potentia, opes addixit ampliſſimas, conſilio ſane quam provido, ac non religioni modo & genti univerſæ, verum etiam Regibus ipſis utiliſſimo, qui fidiſſimos ſemper in Præſulibus Clientes habuere.

S. STEPHANUS.

Quo fine utriusque ſexus Cœnobia condita?

XI. Non hic quievere D. Stephani curæ, de reipublicæ Hungaricæ ſalute ac firmitate admodum ſolliciti, quod enim optime pervideret, ſolis humanæ prudentiæ conſiliis non ſatis cautum eſſe Regnorum incolumitati, niſi ſupremi rerum omnium moderatoris auxilio fulcirentur; numeroſa utrique DEO famulantium ſexui erexit domicilia, quo animæ illæ, quas ſanctior ſummæ perfectæque virtutis ardor eo impelleret, ſemet tuto poſſent recipere, ut precationum ſuarum, bonorumve operum meritis, Numen ſupremum, gravibus populi criminibus ad juſtam provocatum vindictam, placare, Regique una ac Regno propitium reddere ſtuderent: quam Divo Regi, ac illius poſtea ſucceſſoribus in condendis monaſteriis fuiſſe mentem; vel

ex

S. STEPHANUS.

Feſtisve diebus ſervilis labor graviter interdicitur: inter Miſſarum ſolennia confabulantes, ſi majores magisve ſint conſpicui expelli æde ſacra; ſin minores pro foribus Eccleſiæ flagellis inſuper cædi jubentur. Eorum, qui ſub vitæ exitum confeſſione ſemet expiare omiſerint, corpora Eccleſiaſtica priventur ſepultura. Cuique pro facultatum ſuarum modo liberum ſit pia condere legata. Qui Epiſcopis pendere decimas recuſarint, novem aliis mulctentur partibus. Ad Parochialem Eccleſiam ædificandam denæ conveniant villæ, eidem dotis loco duæ aſſignentur poſſeſſiones, totidemque mancipia: præter equum ac jumentum, eo inſuper deputentur duæ vaccæ, ſex boves, triginta quatuor minuta pecora: Regis autem erit veſtimenta ſacra procurare: Presbyterum & libros neceſſarios dare Epiſcopi.

Quid in rem profanam?

XIV. Ad res civiles hæc fere pertinent: Bona Regiis adſcripta uſibus inviolata permaneant; neque unquam poſſint alienari: De nobilium facultatibus ita ſancitum; quæ quis aut a Majoribus ſuis, aut Regia obtinuiſ-

tinuiſſet donatione, plena ipſe, ſuique hæredes poſſideant libertate, demto Comitatu, aut Epiſcopatu, de quorum bonis diſponere, diminuere, ac aliis legare quidpiam nefas: cætera ad hæredes tranſeant, his deficientibus ad fiſcum devolvantur. Regiorum proventuum adminiſtri, ſi quid dolo ſibi retinuiſſent, duplo illatam ſarciant jacturam. Læſæ Majeſtatis rei præter pœnas alias, bonis priventur, quod triplici modo committitur: cum quis mortem Regi, aut regni proditionem machinatus eſſet; aut e Patria abſceſſiſſet. In Regem Regnumve conjurantes, a fidelium communione reſciſſi, ne aſylo quidem Eccleſiæ gaudere poſſint, quemadmodum & ejusdem ſceleris conſcii, vel adjutores. Maleficis, veneficis, ſtrigis, quas ſagas dicimus, variæ ab Epiſcopis dictentur pœnæ. Ad publicam autem ſecuritatem in Regno procurandam, in homicidas mortis ſupplicium; in mutilatores talionis latum. Vitæ, Domorum, bonorumve aggreſſoribus, furibus item pro delicti gravitate graviſſimæ conſtitutæ mulctationes. Alienas conjuges,

S. STEPHANUS.

S. STEPHANUS. ges, puellas, viroſque rapiendi libido coercita. Denique ut firma Regem inter atque Optimates animorum conſenſio conſtaret, mors decreta aulæ calumniatoribus, qui per confictas de Regiis Conſiliis narrationes Procerum Comitumve aliquem gravibus contra Regem ſuſpicionibus compleverint: adulatores autem, qui narratis ultro citroque mendaciis binos optimates in ſe mutuo concitaviſſent, cum mulcta pecuniaria, tum linguæ evulſione viliſſimum crimen expiare juſſi. Atque ex his pronum erit cuilibet conjecturam facere, qui mores tum in naſcente republica obtinuerint, quamque ſapienter per leges ſpeciatim latas iis vitiis ſit occurſum, quæ præprimis tum ſerpere metus erat. Atque hæc prima Hungarici juris fuere lineamenta, per ſucceſſores ſubinde magis explicata, & aucta. A)

XV.

A) Ex hujuscemodi legibus per Reges Hung. latas conflatum eſt Corpus Juris Hungarici, unde ſuum poſtea tripartitum excerpſit Stephanus Verbötzius,

XV. Ab his ordinandæ reipublicæ curis ad belli labores revocatus fuit D. Stephanus, quod unde minime timeri debuit, eruperat. Gyula Tranſilvanæ Regionis Dux, veteri Hungaris amicitia conjunctus, idemque Divi Regis Avunculus, everſa genti ſuæ in Hungaris ſacra ægre ferens, vicinamque eorum apud ſe ruinam pertimeſcens, bellum nepoti denunciat: Stephanus ab humano ſanguine effundendo alieniſſimus, quo tempeſtatem averteret, per nuncios diu egit cum Avunculo, eumdemque non a bello ſolum; verum etiam

S. STEPHANUS.

Qua tempeſtate adjecta S. Coronæ Tranſilvana ditio?

G 2 ab

tzius, quem alii poſt alios Commentatores conſecuti, Jus Patrium egregie illuſtrarunt, ut Kittonitſius, P. Joannes Szegedi e S. J. Jónius, Huſztius, Bodo, & plures alii. Sacras porro leges ſeorſim ſuis in Conſiliis Hungariæ edidit P. Carolus Péterſi e S. J. easdem ad titulos Decretalium Gregorii IX. Papæ digeſſit Perill. ac Conſultiſſ. Vir Paulus Joſeph. de Riegger Equ. S. R. A. M. a Conſiliis in Antiqu. & Celebr. Univerſ. Vindob. Jur. Eccleſ. Prof. P. O. in Specimine Corporis Juris Eccleſiaſtici Incliti Regni Hungariæ. An. Chr. MDCCLXVIII. Vindobonæ.

S. STEPHANUS.

ab Ethnicis abducere conabatur ſuperſtitionibus; at cum fruſtra fuiſſent omnia, nullaque ratione bellum evitari poſſet, æquiſſima ad Regni religionisque defenſionem arma corripuit, eoque ſucceſſu hoſtem profligavit, ut occupata Regione tota, Gyulam ipſum cum familia omni interceperit. Tranſilvania ad Hungariæ normam in comitatus diſtributa, Zoltanum Gyulæ cognatum Wayvodæ titulo præfecit, quæ deinde Magiſtratus ratio diu ibi obtinuit, niſi quando Regum filiis Ducatus nomine tradita eſt. Cæterum Gyula cum ſuis in Hungariam abductus, crebris Nepotis ſui monitis paruit denique, Chriſtique fidem complexus, in captivitate veram reperit libertatem, neque tamen unquam ad Tranſilvaniam remiſſus fuit.

Quo prodigio bellum ſolutum cum Conrado Salico Imp.?

XVI. Alterum multo difficilius bellum non tam armorum vi, quam ope Divina confectum eſt. Miſerat Conradus Cæſar Conſtantinopolim Venriharium vel potius Vernerum Argentinenſem Epiſcopum

præcipitentur: qui Hungaris metuendi hoſtes, quomodo eis obviandum: qua ratione gerenda bella, quando quamve utiliter ineunda fœdera: quibus caſibus ſeveritas, quibus adhibenda clementia: quibus officiis in fide continendi ſubditi: hæc inquam & his affinia verbis & exemplis commonſtrabat; ſi quid enim aliud, certe regendi dotes, non tam præceptionibus, quam uſu exemploque diſcuntur. Monita porro variis data temporibus, ne aliquando e memoria poſſent effluere, decem capitibus comprehenſa in ſcriptum retulit, quæ non erit ab inſtituto noſtro alienum huc integra adſcribere. A) S. STEPHANUS.

G 5 In-

A) In Codice Juris Patrii ad initium. In Ann. Reg. ad Ann. Chr. MXX. Obſcuriora quædam in his monitis illuſtrata reperies a P. Stiltingo S. J. in Vita S. Stephani §. XXXIII. pag. 277. edition. Caſſovienſis An. MDCCLXVII.

S. STEPHANUS.

In Nomine Sanctæ Trinitatis & individuæ Unitatis.

Præfatio S. Stephani.

„ CUm cuncta DEI nutu condita, ſuaque evidentiſſima præordinatione diſpoſita, tam in amplitudine Cœli, quam in iſtis ampliſſimis terrarum climatibus, ratione intelligentiæ funditus ſentiam vigere, atque ſubſiſtere: cumque affatim univerſa hujus vitæ utilitati, dignitatique gratia DEI conceſſa, ſcilicet: Regna, conſulatus, Ducatus, Comitatus, Pontificatus, cæteraſque dignitates partim Divinis Præceptis atque inſtitutis, partim legalibus, partim Juridicis, partim Civilibus, ac Nobiliorum, ætateque provectorum Conſiliis, ſuaſionibus regi, defendi, dividi, coadunari videam; & cum omnes ordines ubique terrarum, cujuscunque ſunt dignitatis, non ſolum ſatellitibus, amicis, ſervis præcipere, conſulere, ſuadere; ſed etiam filiis pro certo ſciam: tunc me non piget fili amabiliſſime hac vita comite, tibi documenta, præcepta, conſilia & ſuaſiones proponere, quibus tuæ vitæ mores, tibique

que ſubjectorum exortes, quando ſumma S. STE-
concedente potentia poſt me regnabis. Te PHANUS.
autem ſtudioſe adhibita audientia Patris præcepta juxta Divinæ ſapientiæ ſuaſum condecet obſervare, dicentis per os Salomonis: Audi fili mi Patris tui diſciplinam, & ne dimittas legem Matris tuæ; ut addatur gratia capiti tuo, & multiplicentur tibi anni vitæ tuæ. Ex hac ergo ſententia animadvertere poteris, ſi ea, quæ Paterna pietate tibi præcipio, contempſeris (quod abſit) quod amplius amicus DEI & hominum non eris. Audi vero inobedientiam prævaricatorum præcepti, caſum & præcipitium. Adam quidem, quem Dominus conditor, totiusque creaturæ Plasmator, ad ſuam formavit ſimilitudinem, eumque univerſalis fecit hæredem dignitatis, funiculum fregit præceptorum, ſtatimque dignitatum ſublimitatem, ac manſionem Paradiſi perdidit: antiquus quoque populus a DEO electus & dilectus, quia ligamina mandatorum digitis DEI condita disjecit, idcirco diverſis interiit modis; partem quidem terra deglutivit, partem quo-

S. STEPHANUS. quoque exterminator mortificavit, & pars invicem ſe interfecit. Filius quoque Salomonis abjiciens pacifica verba Patris, ac ſuperbia elatus, minatus eſt populo percuſſiones frameæ pro maſtigiis Patris, idcirco multa paſſus eſt in Regno, ad ultimum dejectus eſt. Hoc tibi ne accidat, obedi fili mi; puer es, deliciarum vernula, pulvinaris accola, ſotus educatusque in deliciis cunctis, expeditionum, laboris, atque diverſarum gentium incurſionis expers, in quibus ego fere jam totam meam contrivi ætatem. A) Jam tempus adeſt, in quo tibi non ſemper pulvinarium mollities, quæ te hebetem & delicatum reddant, adhibendæ ſunt; quod eſt diſſipatio virtutum, & vitiorum ſomentum, atque contemtio mandatorum; ſed interdum aſperitas tribuenda eſt, quæ tuam intelligentiam ad ea, quæ præcipio, reddant attentam. His itaque præfatis redeamus ad propoſitum.

„Quo-

A) Ex hoc collige D. Stephanum plura bella geſſiſſe quam a ſcriptoribus comemorata ſint.

pum A) qui, cum per Hungariam eo iter dirigit, D. Stephani Regis juſſu commeatu probibetur; quod non vana erat ſuſpicio, eum ad Græcos adverſus Hungariam concitandos dimitti: injuriam, ut rebatur, acerbius tulit Conradus, quam ut ſic abire ſineret: congregatas ſumma celeritate copias Hungarico inſundit agro, cunctaque ad Arrabonem usque ferro flamaque evaſtat. Rex cum bellum nonniſi multo ſuorum ſanguine reſtinguendum perſpiceret, DEO rem impenſius commendavit, rogata ſolenni ritu DEIpara, ſuas ut apud filium preces interponeret: nec ſpe ſua deluſus fuit, factum quippe ea, quæ pugnam antecedebat, nocte, ut cœleſtis genius nuntii Cæſarei habitu ſingulos Ducum Germanorum adiens, ſolutis caſtris domum rediæ juberet; qui cum dicto paruiſſent, Conradus, ut illuxit, a copiis ſe nudatum vi- S. STEPHANUS.

A) Vernerus hic nepos fuit Guntrami Divitis & Conditor Caſtri Habsburg, unde ejus fratres eorumdemque poſteri novam Comitum de Habsburg appellationem traxere.

S. STEPHANUS.

videns, pacem cum D. Stephano iniit, atque ſic bellum ſolutum eſt, ex quo intelligas, plus plerumque in Divina ope, quam exercitus robore ineſſe præſidii.

Quo item Bulgaricum.

XVII. Paulo plus habet admirabilitatis, cum cladem a Bulgaris impendentem a ſuorum propulſavit jugulo: pro familiari ſibi more Hungariam omnem obiens, prope Tibiſcum agebat D. Stephanus, die quodam e diuturniore venatu laſſus, quieti ſe dederat, tum quaſi per ſomnium divinitus edocetur, Biſſenos e Bulgaria in Tranſilvaniam irrumpere, continuo experrectus, miſſo ad earum partium Tribunum celeri nuntio, copias colligi, hoſtibusque in ipſo aditu jubet occurrere. Ille ut imperatum fuit, mandata exequutus, Biſſenos nil tale opinantes adortus, internecione delet. Domum nunciata ea clade perculſi cæteri, veritique ne injurias porro Hungari ultum irent, ſexaginta e ſuis viros ditiſſimis inſtructos muneribus in Hungariam deſtinant, pacem a Rege petituros. Vix Hungariam tenuerunt, cum a militibus, qui ad limi-

tes

tes excubabant, circumventi, per ſummum nefas Theſauris omnibus ſpoliantur, ægreque admodum ad Regem perveniunt; ille victis, ſupplicibusque pacem libens conceſſit; at ſceleris adverſum gentium jura per ſuos admiſſi atrocitate commotus, quæſtione in legatorum violatores habita, reos circum Regni fines longo ordine e ſublimibus furcis ad aliorum terrorem pendere juſſit.

S. STEPHANUS.

XVIII. Has inter bellorum progreſſiones Giſela conjux Emericum Filium cælo potius, quam mundo enixa fuit An. Chr. MVII. exacta ſub piiſſimæ Matris cura infantia, D. Gerardo, Ord. S. Benedicti Monacho inſtituendus traditur. In Præceptoris ſanctimonia & doctrina conſpicui diſciplinæ non potuit non maximas in virtute litteriſque facere progreſſiones, incredibili Parentum ſolatio: plurimum tamen Divina in puero laborabat gratia, quæ iis infantem adhuc inſtruxerat donis, ad quæ viri etiam ſanctiſſimi longa nonniſi ætate, continuoque virtutis exercitio pervenire ſolent:

Quam rara Emerici filii Sanctimonia?

S. STEPHANUS.

lent: prodigio ſimile fuit juge orationis ſtudium, & aſſidua rerum Divinarum contemplatio, mentis, corporisque Angelica integritas, quam in aliis etiam raro exemplo cognoſcere, æſtimareque noverat. A) Sanctimoniæ acceſſit præclara, omnisque doctrinæ capaciſſima indoles; quæ Sanctiſſimi Ducis ornamenta incredibilem apud omnes de eo concivere expectationem.

Quibus artibus ad regendum inſtitutus?

XIX. Sic cum adoleviſſet Emericus, D. Gerardo ad recens conditam Chanadienſem Eccleſiam traducto, Pater ipſe Stephanus filium inſtituendum ſuſcepit: quo eum ad proprias Principibus virtutes erudiret, ſibi ſemper & ubique aſſiſtenti, quid agendum vitandumque: quibus artibus ſtabiliantur Imperia, quibus item in ruinam [illegible] non [illegible] præ- [illegible]

A) Die quodam ad S. Pannoniæ montem pietatis cauſa cum Patre profectus Emericus obvios ſibi honoris cauſa Monachos impari oſculorum numero ſalutavit; cauſam rogatus, repoſuit, ſe id pro tempore modoque ſervaſſe per eos continentiæ fecisse. In vita S. Emerici.

S. STEPHANUS.

Veræ Fidei firmitas.

„ Quoniam ad regalis dignitatis ordinem, non oportet niſi fideles, & Catholica Fide imbutos accedere, idcirco Sanctæ Fidei in noſtris mandatis primum damus locum. Imprimis præcipio, conſulo, ſuadeo fili chariſſime, ſi regalem honeſtare cupis coronam, ut fidem Catholicam & Apoſtolicam tali diligentia & cuſtodia conſerves, ut omnibus tibi a DEO ſubjectis exemplum præbeas, cunctique Eccleſiaſtici viri merito te verum Chriſtianæ profeſſionis nominent virum; ſine qua pro certo ſcias Chriſtianus non diceris, vel Eccleſiæ Filius; qui enim falſe credunt, vel fidem in bonis non implent, & ornant operibus, (quia fides ſine opere moritur) nec hic honeſte regnant, nec in æterno Regno vel corona participant. Si vero ſcutum retines fidei, habes etiam galeam ſalutis: his quidem ornamentis contra inviſibiles & viſibiles legitime dimicare poteris inimicos, nam ait Apoſtolus, non coronabitur, niſi qui legitime certaverit Tim. 2. Fides ergo de qua loquor hæc eſt: ut Patrem DEUM Omnipotentem Factorem totius Creaturæ

&

S. STEPHANUS.

& Unigenitum ejus Filium, Dominum noſtrum JEſum, de Maria Virgine Angelo annunciante natum, & pro totius mundi ſalute in Crucis patibulo paſſum, & Spiritum Sanctum, qui per Prophetas & Apoſtolos & Evangeliſtas locutus eſt, unam DEItatem perfectam, indiſſolubilem, incontaminatam eſſe firmiter credas, & ſine omni ambiguitate teneas. Hæc eſt Fides Catholica quam (ſicut Athanaſius dicit.) niſi quis fideliter firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit. A) Si aliquando infra tuam inveniantur potentiam (quod abſit) qui hanc collationem Sanctæ Trinitatis dividere, vel minuere, ſive augere conabuntur, hos ipſos ſcias eſſe Hæreſiarchæ ſervos, & non Sanctæ Eccleſiæ Filios. Tales vero nec nutrias, nec defendas, ne tu etiam videaris amicus & fautor. Hujusmodi enim viri Sanctæ Fidei filios omnino reddunt morboſos, & iſtam novellam Sanctæ

ctæ

A) Succincta hæc fidei Catholicæ profeſſio conſimilis eſt illi quam S. Piligrinus Geiſæ Ducis ætate Romam transmiſerat.

ſ. Stephanus.

ctæ Eccleſiæ plebem miſerabiliter deſtruunt, ac etiam diſſipabunt. Hoc ne fiat principaliter cura.

Sincerum Eccleſiæ Catholicæ ſtudium.

„ In regali quidem Palatio poſt fidem Eccleſia ſecundum tenet locum, a capite noſtro ſcilicet Chriſto prius ſeminata, deinde per ejus membra utique Apoſtolos, Sanctosque Patres transplantata, & firmiter ædificata, atque per totum orbem diffuſa. Et quamvis ſemper novam pariat prolem, in certis tamen locis, quaſi antiqua habetur. Hæc autem fili chariſſime in noſtra Monarchia adhuc quaſi juvenis & novella prædicatur, atque idcirco cautioribus, evidentioribus eget cuſtodibus; ne bonum, quod Divina clementia per ſuam immenſam miſericordiam nobis conceſſit immeritis, per tuam deſidiam & pigritiam atque negligentiam deſtruatur & annihiletur. Nam qui minuit, aut fœdat Sanctæ Eccleſiæ dignitatem, ille Chriſti Corpus mutilare nititur. Ipſe enim Dominus dixit Petro, quem cuſtodem Magiſtrumque eidem ſanctæ poſuit Eccleſiæ: Tu es Petrus, & ſuper

per

S. STEPHANUS.

per hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Math. 19. Marc. 9. Se ipſum quidem nominabat Petram, verum non ligneam, vel lapidem ſuper ſe ædificatam Eccleſiam dixit; ſed populum aquiſitionis, gentem electam, Divinam, gregem fide doctum, baptismate lotum, Chrismate unctum, ſanctam ſuper ſe ædificatam Eccleſiam dixit, & appellat. Si quis infelix hujus Sanctæ Eccleſiæ membra, vel parvulos ſcandalizat, juxta Evangelii præceptum dignus eſt, ut mola ſuſpendatur aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris, id eſt dejiciatur e poteſtatis dignitate, & maneat extra Eccleſiam juſtorum, in illa mundiali miſeria, ſicut Ethnicus & Publicanus. Ac per hoc Fili mi ferventi ſtudio debes invigilare in Sancta Eccleſia de die in diem, ut potius capiat augmentum, quam detrimentum patiatur. Inde etiam inprimis Reges Auguſti dicebantur, quia augebant Eccleſiam. Hoc & tu facias, ut tua corona laudabilior, & vita beatior, & prolixior habeatur.

„ Re-

„ Regium ſolium ornat ordo Pontificum; ac per hoc in regali dignitate tertium poſſident locum Pontifices. Chariſſime fili! ſeniores illos ita cuſtodias, ſicut oculorum pupillas. Si illorum benevolentiam habebis, neminem adverſariorum timebis. Illis quidem te obſervantibus eris ſecurus in omnibus, illorum precatio commendabit te Omnipotenti DEO; illos enim DEUS humani generis conſtituit cuſtodes, fecitque ſpeculatores animarum, ac totius Eccleſiaſticæ dignitatis, ac Divini Sacramenti diſpenſatores & datores. Sine enim illis non conſtituuntur Reges, nec Principatus: per illorum interventum delicta delentur hominum. Si illos perfecte amas, te ipſum ſine dubio ſanas, tuumque Regnum honorifice gubernas. In manus enim illorum poſita eſt poteſtas ligandi nos in peccatis & a peccatis ſolvendi. Teſtamentum enim ſempiternum ſtatuit illis DEUS, eosque ſegregavit ab hominibus, & ſui nominis atque Sanctitatis fecit participes, & ab hominibus interdixit reprehendendos eſſe per David DEIficum Regem: Nolite tangere Chri-

S. STEPHANUS.

Obſervantia adverſum Epiſcopos.

S. STEPHANUS.

ſtos meos Pſ. 104. Ille autem tangit Chriſtos DEI, qui contra Divinum, atque Canonum inſtitutum Sacri Ordinis viros falſis criminibus fœdat, atque in publicum protrahit. Quod te omnino fili mi agere prohibeo, ſi vis beatus vivere & tuum regnum honeſtare, quia in his rebus offenditur DEUS. Si accidente caſu, culpa reprehenſione digna ſuper aliquem horum, de quibus ſermo eſt, ceciderit, (quod abſit) corripe eum ter, quater inter te & ipſum ſolum juxta præceptum Evangelii. Si tunc ſecrete renuerit audire monita, adhibenda ſunt tibi publica, ſecundum hæc: Si te non audierit dic Eccleſiæ Math. 17. nam ſi tu hunc ordinem ſervabis, glorioſam tuam penitus exaltabis coronam.

Humanitas erga Proceres.

„ Quartus decor regiminis eſt fidelitas, fortitudo, agilitas, comitas, confidentia Principum, Baronum, Comitum, Militum, Nobilium. Illi enim ſunt regni propugnatores, defenſores imbecillium, expugnatores adverſariorum, augmentatores Monarchiarum. Illi tibi fili mi ſint Patres & Fra-

tres,

S. STEPHANUS.

tres, ex his vero neminem in ſervitutem redigas, vel ſervum nomines. Illi tibi militent, non ſerviant. Eorum omnibus ſine ira, & ſuperbia, atque invidia, pacifice, humiliter, manſuete dominare, memoria retinens ſemper, quod omnes homines unius ſint conditionis, & quod nil elevat, niſi humilitas: & nihil deicit, niſi ſuperbia & invidia. Si eris pacificus, tunc diceris Rex & Regis filius, atque amaberis a cunctis militibus: ſi iracundus, ſuperbus, invidus, inpacificus, ac ſuper Comites, & Principes cervicem erexeris, ſine dubio fortitudo militum, hebetudo erit Regalium dignitatum, & alienis tradent regnum tuum. Hoc timens cum regula virtutum dirige vitam Comitum, ut tua dilectione angulati, ſemper regali dignitati adhæreant inoffenſi, & ut tuum regnum per omnia ſit pacificum.

Æquitas in pronuncian. dis judiciis.

„ Patientiæ & judicii obſervatio, quinta regalis coronæ eſt ornatio. David Rex atque Propheta dicit: DEUS judicium tuum Regi da, & idem alibi: honor Regis

S. STEPHANUS.

judicium diligit. Pſ. 98. De Patientia Paulus Apoſtolus loquitur: patientes eſtote ad omnes 1. Theſſ. 5. Et Dominus in Evangelio in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras: Luc. 21. Ad hoc tende fili mi: ſi vis regni habere honorem, dilige judicium: ſi animam tuam poſſidere vis, eſto patiens. Quotiescumque fili chariſſime, cauſa digna judicari ad te venerit, vel aliquis capitalis ſententiæ reus, noli impatienter portare, vel cum juramento firmare, illum punire: quod inſtabile, & fragile debet eſſe, quia ſtulta vota frangenda ſunt; vel per te ipſum judicare; ne tua regalis dignitas uſurpatione inferiorum negotiorum fœdetur; ſed potius hujusmodi negotium ad Judices mitte, quibus hoc commiſſum eſt; quod ipſi ſecundum ſuam hoc diſcernant legem: time eſſe Judex; Gaude vero Rex eſſe & nominari. Reges patientes regnant: impatientes tyrannizant. Quando autem aliquid, quod tuæ convenit ad judicandum dignitati, tibi venerit, cum patientia & miſericordia hoc judica, ut tua corona laudabilis ſit & decora.

„ In

S. STEPHANUS.

Hoſpitalitas erga exteros

„ In hoſpitibus & adventitiis viris tanta ineſt utilitas, ut digne ſexto in regalis dignitatis loco poſſit haberi. Unde imprimis Romanum crevit Imperium, Romanique Reges ſublimati fuerunt & glorioſi? niſi quod multi Nobiles & ſapientes ex diverſis illuc confluebant partibus: Roma vero usque hodie eſſet ancilla; niſi Æneades ipſam feciſſet liberam. Sicut enim ex diverſis partibus provinciarum veniunt hoſpites: ita diverſas linguas & conſuetudines, diverſaque documenta, & arma ſecum ducunt, quæ omnia regiam ornant & magnificant aulam, & perterritant exterorum arrogantiam, nam unius linguæ, uniusque moris Regnum inbecille & fragile eſt. Propterea jubeo te fili mi, ut bona voluntate illos nutrias, & honeſte teneas, ut tecum libentius degant, quam alibi habitent. Si enim tu deſtruere, quod ego ædificavi; aut diſſipare; quod congregavi, ſtudueris, ſine dubio maximum detrimentum tuum patietur regnum„: quod ne fiat, tuum quotidie auge regnum, ut tua corona ab omnibus auguſta habeatur.

S. STEPHANUS.

Senum utiliſſima conſilia.

„ In tribunalibus Regum Conſilium ſibi ſeptimum vendicat locum. Conſilio enim conſtituuntur Reges, gubernantur regna, defenditur patria, componuntur prælia, ſumitur victoria, propelluntur inimici, appellantur amici, civitates conſtruuntur, & caſtra adverſariorum deſtruuntur. Ut vero conſiliis inſit utilitas; a ſtultis, & arrogantibus, ac mediocribus (ut mihi videtur) non valent componi viris, ſed a majoribus & melioribus, ſapientioribusque, ac honeſtiſſimis ſenioribus exprimi debent & poliri. Idcirco fili mi cum juvenibus, & minus ſapientibus noli conſiliari, aut de illis conſilium quærere; ſed a ſenioribus, quibus illud negotium propter ætatem & ſapientiam ſit aptum: nam conſilia Regum in præcordiis ſapientum debent claudi, non ventoſitate ſtultorum propagari. Si enim gradieris cum ſapientibus, ſapiens efficieris: ſi verſaris cum ſtultis, ſociaberis illis, fatente Spiritu Sancto per Salomonem, qui cum ſapientibus graditur, ſapientum erit amicus, nec ſtultorum erit ſimilis Prov. 12. & David pſallit: cum Sancto

San-

Sanctus éris, & cum viro inocente inocens eris, & cum electo electus eris, & cum perverſo perverteris. Pſ. 17. Ad hoc quidquid negotii unicuique conveniat ætati, in hoc ſe exerceat, ſcilicet juvenes in armis: Senatores in conſiliis. Omnino tamen Juvenes non ſunt expellendi a conſiliis. Quoties vero cum illis conſilium inibis, etiam ſi ſit habile, tamen ſemper ad majores deferas, ut omnes actus tuos norma ſapientiæ menſures.

S. STEPHANUS.

„ Imitatio majorum in regali dignitate octavum poſſidet locum. Regale ornamentum ſcis eſſe maximum: ſequi anteceſſores reges, & honeſtos imitari Parentes. Qui enim anteceſſorum decreta ſpernit Patrum, nec Divinas procurat leges, peribit; Patres enim idcirco ſunt Patres, ut nutriant filios, ideoque ſunt filii, ut obediant Patribus. Qui Patri ſuo reſiſtit, inimicus DEI exiſtit; omnes enim inobedientes DEO ſunt reſiſtentes: Spiritus enim inobedientiæ diſpergit flores coronæ; inobedientia enim totius Regni eſt peſtilentia. Propterea fili chariſ-

Majorum imitatio.

S. STEPHANUS.

ſime edicta Patris tui ſemper tibi ſint promtuoſa, ut proſperitas tua ubique regalibus dirigatur habenis. Mores quidem meos, quos regali vides convenire dignitati, ſine vinculo totius ambiguitatis ſequere. Grave enim tibi eſt hujus climatis tenere Regnum, niſi imitator conſuetudinis ante regnantium exſtiteris Regum. Quis Græcus regeret latinos Græcis moribus? nullus. Idcirco conſuetudines ſequere meas, ut inter tuos habearis præcipuus, & inter alienos laudabilis.

Orationis aſſiduum ſtudium.

„ Obſervatio Orationis, maxima aquiſitio eſt regalis ſalutis; Idcirco & ideò nonum, & nonaria Regiæ dignitatis canit regula: continua Oratio eſt peccatorum abolitio & remiſſio. Tu autem fili mi quotiescumque ad templum DEI curris, ut DEUM adores, cum Salomone filio Regis, & ipſe Rex, ſemper dicas: Emitte Domine ſapientiam de ſede magnitudinis tuæ; ut mecum ſit, & mecum laboret, ut ſciam quid acceptum ſit coram te omni tempore 3. Reg. 3. & iterum: Domine

Pater

Pater & DEUS vitæ meæ! ne derelinquas me in cogitatu maligno, extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & deſiderium malignum averte a me Domine; aufer a me concupiſcentiam, & animo irreverenti & infrunito ne tradas me Domine Eccl. 23. Hac igitur oratione antiqui utebantur Reges: Tu quoque hac eadem utere, ut DEUS cuncta vitia a te auferre dignetur: ut inviƈtiſſimus Rex a cunctis nomineris. Ora etiam, ut deſidiam & hebetudinem a te depellat, & ſupplementum omnium tibi tribuat virtutum, quibus viſibiles & inviſibiles vincas inimicos, ut ſecurus & expeditus ab omni incurſione adverſariorum, cum omnibus tibi ſubjectis curſum ætatis tuæ vitæ cum pace poſſis finire. S. STEPHANUS.

„ Modus virtutum ornat Coronam Regum, & in præceptis ponitur decimus. Nam Dominus virtutum ipſe eſt Rex Regum; ſicut ergo ſui exercitus cœleſtis plenitudo in denis conſiſtit choris, ſic tuæ vitæ converſatio in decem perſiſtat mandatis. Virtutum Chriſtianarum exercitium.

 Opor-

S. STEPHANUS.

Oportet Regem eſſe pium miſericordem, & ceteris virtutibus imbutum & ornatum. Rex enim impietate & crudelitate fœdatus incaſſum ſibi vendicat nomen Regis; quia Tyrannus eſt dicendus. Ob hoc ergo fili mi amabiliſſime! dulcedo cordis mei! ſpes futuræ ſobolis! preçor, jubeo, ut per omnia & in omnibus pietate fultus, non ſolum parentelæ & cognationi, vel Principibus ſive Ducibus, ſive Divitibus, ſeu vicinis, & incolis ſis propitius: verum etiam extraneis, & cunctis ad te venientibus. Nam opus pietatis ad ſummam te ducit beatitudinem. Sis miſericors omnibus vim patientibus, ſemper illud Domini in tuis præcordiis habens exemplum: miſericordiam volo, & non ſacrificium. Patiens eſto ad omnes, non tantum potentes; ſed etiam poteſtate carentes. Sis denique fortis ne te proſperitas nimis elevet: aut adverſitas dejiciat. Sis quoque humilis, ut DEUS te altum faciat hic, & in futuro. Sis vero modeſtus, & ultra modum neminem punias, vel damnes. Sis mitis, ut nunquam juſtitiæ repugnes: ſis honeſtus,

ut

ut nunquam alicui ſpontaneum inferas dedecus: ſis pudicus, ut cunctos libidinis fœtores ſicut ſtimulum mortis evites. Hæc omnia ſuperius libata regalem componunt coronam; ſine quibus valet nullus hic regnare, nec ad æternum pertingere Regnum."

S. STEPHANUS.

XX. Talibus igitur inſtructum præceptionibus Emericum ſuum in Regno ſucceſſorem deſtinabat, vivensque adhuc reipublicæ curas in ejus humeros parabat reclinare, quod non tam ſenectutis vitio, quam multiplicibus belli curis, & laborum pro Eccleſia ac republica toleratorum pondere fractus, graviſſimos contraxiſſet morbos: id ocius ut effectum daret, tranquillamque redderet filio Regni poſſeſſionem, quoniam a Polonis & Bulgaris nil hoſtile metuendum erat, Auſtriacos & Dalmatinos opportunis affinitatibus eidem conciliavit: nam & Adelhaidem Ottonis, Venetiarum Ducis ex ſorore ſua Giſela filiam Adalberto Babenbergico, Auſtriæ Marchioni nuptui dedit; & filio Emerico Chicham Ste-

Quibus præſidiis filio ſucceſſionem communivit?

phani

S. STEPHANUS.

phani Dalmatiæ Regis filiam uxorem accepit. A)

Quam ſubito ſuccisæ Parentis ſpes?

XXI. E novo hoc connubio cum optatam ſobolem, ampliſſimæ olim poſteritatis ſpem unicam expectat providus Pater; alia longe de Emerico Divina conſtituit providentia, quæ arcana ſua conſilia hominum ſubducta oculis ad ſublimes ſuos fines diſponit quam ſapientiſſime. Cum quartum ſupra decimum agebat annum, Veſprimii in æde D. Georgii, inter orandum humi proſtratus adoleſcens Regius, cælitus emiſſa voce continentiam jubetur ſervare: paruit tum monito Angelicus Princeps, idem ut faceret ſubinde lectiſſimam conjugem nullo induxit negotio: alienum hoc conjugii rebus propoſitum levius ferri poterat; at non multo poſt aliud evenit, quod ſollicitas tot annorum curas, optimasque Parentum ſpes momento uno præcidit: fatali correptus febre Emericus, cum quartum &

A) Annal. Reg. ad An. Chr. MXXVI.

& viceſimum ingreditur annum, in ipſo ætatis vigore humanis exemptus, ad Angelicorum ſpirituum conſortium evolavit. A) III. nonas Septembris An. Chr. MXXXI. Corpus Albam Regiam deductum in Baſilica D. Virginis a D. Stephano condita incredibili aulæ totiusque Regni luctu contumulatum fuit. Regia conjux Virgo ad ſuos reverſa, Jadræ fundato ab ſe Virginum aſceterio ſemet abdidit, Antiſtitæ dignitate ad mortem usque perfuncta. S. STEPHANUS.

XXII. Doloris acerbitas e tanti Filii jactura ad D. Stephanum Patrem potiſſimum per- Quæ deinceps conſilia de ſucceſſore legendo?

A) „ Eadem hora qua B. Emericus diſſolutus „ eſt, S. Euſebius Cæſareæ Paleſtinæ Metropolita „ cum in proceſſione una cum Clero & populo in„ cederet, ſonum Angelicæ dulcedinis in excelſo „ audivit, apertisque oculis cordis, animam Beati „ Emerici filii S. Srephani I. Regis Pannoniæ ſur„ ſum transferri conſpexit. „ Ita author legendæ pro feſto S. Emerici, qui id ſe Conſtantinopoli, ubi cum Almo Duce agebat, a Canonico Cæſareenſi didiciſſe fatetur, ut habetur in Breviario Eccl. Strig. An. Chr. MCCCCLXXXIV.

STEPHANUS.

pertinuit: qui unicum ſenectutis ſuæ ſolatium, hæredisque ultimam ſpem in eo ſibi ablatam ſpectare debuit: Divinis nihilominus aquieſcens conſiliis, non tam ſuam, quam Regni doluit orbitatem, nemo erat, qui ſe e vivis ſublato gubernandæ Hungariæ tuto poſſet præfici: occurrebant animo cognati Duces Ladislai Calvi filii: Andreas Leventa & Bela; verum quod eam, quam Emericus, non erant nacti inſtitutionem, litterarum rudes, minus idonei tanto videbantur faſtigio, neque illa pietas fideique firmitas eis inerat, quam D. Stephanus ſub ea rei Chriſtianæ & Regni initia a ſucceſſore ſuo non immerito requirebat, quibus inſuper habitis, ſi alicui eorum, rei ſumma eſſet credita, actum boni omnes putabant de ſalute utriusque reipublicæ, tot tantisque Divi Stephani ſudoribus conſtitutæ. Non de nihilo metum fuiſſe eventus probavit: Andreas quippe Regno poſtea potitus facilem omnino ſe gentilibus principio præbuit; Leventa vero deſerta Chriſti fide larvam poſuit, ad avitas redeuntium ſuperſtitiones Dux effectus: Belæ denique

ea

S. STEPHANUS.

ea ætate ferociorem, quam Evangelica præſcriberet manſuetudo, indolem; vel illud indicat, quod iniqua ſubinde in legitimum Regem fratremque ſuum Andream arma corripere non dubitarit. Mala hæc cum D. Stephanus e Ducum indole non vano auguraretur, induci non potuit ut eorum aliquem ſuum in Regno ſucceſſorem conſtitueret. A)

Cur Petrum ſororis filium Agnatis Ducibus prætulit?

XXIII. Ea propter ultra modum anxium Regem adiere Proceres advenæ, ſolerterque egere, ut Petrum Alemanum Ottonis Venetorum Ducis e Giſela ſorore filium Ducibus anteferret: Principem Natalium ſplendore ac materni cumprimis ſanguinis prærogativa Hungarico non indignum ſolio, adhæc Divinis humanisque diſciplinis apprime inſtructum: addebant ſanguinis affini-

A) „ Triſtitia, inquit M. Thurotzius, ac gemitibus afficiebatur, præſertim propterea, quia nullus videbatur de conſanguineis ejus idoneus ad hoc, [illegible] mortuo Regnum in fide Chriſti conſerva[illegible] Chronici P. II. pag. 155. edit. Tyrnav.

affinitatisve nexus cum pluribus Europæ Principibus, quorum auxilio, ſi quid Hungari in Religione aut regiminis forma innovatum irent, adverſus vim omnem tutus eſſet. His crebræ acceſſerunt Giſelæ Reginæ hortationes, quibus demum expugnatus D. Stephanus ſummis Agnatorum Ducum Andreæ Belæ, ac Leventæ ingratiis, Petrum, nepotem ex ſorore in Hungariam accitum, militiæ præfecit, tum ut Hungaris ſenſim aſſueſceret, tum ut aliquod illius virtutis caperet experimentum; quo in munere cum Petrus optimas de ſe ſpes præberet, ſine cunctatione ſucceſſorem illum in Regno deſignavit Stephanus, ſive ſponte ſua, ſive advenarum auctoritate, atque potentia inductus, quorum arbitrio, quod Rex plerumque æger decumberet, pene omnia tum gerebantur.

Quo id animo acceptum ab Hungaris?

XXIV. Conſilii hujus fama per univerſum Regnum divulgata, vix dictu eſt, quam varios in Hungarorum animis exciverit motus: plerisque doluit, Hungaricam rempublicam, domeſ[illegible] Principum

ſtirpe

ſtirpe excluſa, ad exterum hominem devolvi, multos dolor ad vindictam & extrema quævis perpetienda accendit: & quoniam id aperta vi advenarum metu impediri non poſſe videbant; ſceleſtum non minus, quam atrox ineunt conſilium Regis una & Petri e medio tollendi, impune poſtea in Regios graſſaturi adminiſtros: præcipui Hungarorum procerum quatuor conjurationis fuere capita, is, cui ſceleris exequendi negotium datum, ſub primas noctis tenebras Regium ſubiit conclave, cum forte e morbo laborantem ſopitumque Stephanum confoſſurus; at ſica ſubito humi prolapſa, facto ſtrepitu, Rex evigilat, quo conſpecto, ſicarius ſanctiore metu perculſus, e veſtigio cubili Regio ſupplex affunditur, detectaque omni conjuratione, veniam obtinet; ſumtum de cæteris ſupplicium. S. STEPHANUS.

XXV. Sæviſſimam conjurationem tempeſtative oppreſſam, etſi non authoribus, conſciis tamen fortaſſe Ducibus conceptam ſuaderi poteſt, quos maxime amiſſi Regni Quæ cauſa fugæ Ducum in Poloniam?

 dolor

S. STEPHANUS.

dolor & invidia urebat, patefactis inſidiis, ſive quod extero ſubeſſe detrectarent, ſive quod a morte D. Stephani peſſime ſibi a Petro & advenis Proceribus metuerent, ad Micislaum Boleslai filium in Poloniam præcipiti fuga ſemet ſubduxerunt. Congruunt hæc apprime cum ſcriptoribus patriis, qui exilium hoc Giſelæ Reginæ Petrique cauſa ſuſceptum memorant, ac nominatim illius odiis exagitatos Duces alibi ſalutem quærere coactos, quæ autem apud pientiſſimam, qualis Giſela füit, mulierem juſta eſſe potuit indignationis cauſa; niſi crimen quodpiam ab eis commiſſum ante fuiſſet, aut certe gravior aliqua ſuſpicio enata: nam illud, Giſelam Reginam in univerſam Regiam ſtirpem Hungaricam cæco ſæviiſſe furore, Vazulem oculis orbari juſſiſſe, ac denique crudeliſſimis artibus Petro ſolium quæſiviſſe, inter comenta reponendum cenſeo. A)

XXVI.

A) Narratio tota Chron. P. II. Cap. XXXIII. & IV. peſſime ſibi cohæret. Vide Ann. Reg. ad An. Chr. MXXXII.

S. STEPHANUS.

Qua pietate diem ſuum obiit Stephanus?

XXVI. Perturbatis hunc in modum Aulæ Regiæ rationibus, non diu ſuperſtes fuit Stephanus. Diuturniore conſumtus morbo, cum vicinam ſibi mortem inſtare perſentiſceret, univerſos Regni Antiſtites Proceresque ad ſe accitos, graviſſimis in medium adductis rationibus, cohortatus fuit, ut quod ipſe de ſucceſſore ſanxiſſet, ſuo quoque ratum haberent calculo; nemo fuit, qui Regis tam inſigniter de patria meriti ultimæ repugnaret voluntati. Ea ſolutus cura Stephanus, circumfuſam lectulo ſuo Patrum Patriæ coronam ad retinendam conſtanter tuendamque Religionem Chriſtiano Catholicam, ad mutuam inter ſe charitatem animorumque conſenſionem colendam, ad ſua denique ſervanda inſtituta incenſo ſermone animavit; tum ſublatis in cælum oculis manibusque, precantis ritu, ſe primum, poſtea circumſtantes proceres, ac denique ſtabilitum curis laboribusque ſuis Regnum Auguſtiſſimæ Cælorum Reginæ majorem in modum commendavit: hanc ille ſceptri Hungarici Reginam hæredem ſcripſit, qua quidem obla-

S. STEPHANUS.

mus ille Regum Dominus præter inſignem vitæ ſanctimoniam, rara ſane prudentia, & eximiis prorſus ad regendum dotibus inſtruxerat, quo pulcherrimo ſucceſſoribus eſſet exemplo, ad quod identidem reſpicerent, viderentque profanas reipublicæ curas, ac bellicos etiam labores cum Chriſtianæ virtutis exercitatione optime poſſe copulari, modo hæc omnia ad ſublimiorem, cunctisque præſtitutum finem dirigantur.

GENEA-

tuendo deſudaſſet ex vero gentis Hungaricæ Rex & Apoſtolus. Vulgata mortis fama, incredibilis omnium Ordinum frequentia Albam Regiam confluxit, quo ſacrum illius corpus ſuccolantibus Epiſcopis delatum, in medio Marianæ Baſilicæ marmoreo conditum fuit tumulo, a) qui locus poſtea Regum funeratione, atque inauguratione celebrari cæpit. Atque hic fuit exitus Divi Stephani Regis, quem ſupremus S. STEPHANUS.

a) Multiplicibus ad S. Regis & filſi Emerici tumulum patratis prodigiis, agente D. Ladislao, publici iis honores a Gregorio VII. Papa decreti ſunt An. Chr. MLXXXIII. quo tempore cum S. Stephani corpus levaretur, dextera ejus in premium tam profuſæ in res ſacras & egenos munificentiæ omnis corruptionis expers reperta fuit. Itaque bini dies feſti S. Regis memoriæ conſecrati alter XX. Aug. Elevationis S. Stephani R. Conf. XXX. Maji alter Inventionis S. Dexteræ in cujus honorem Abbatiam condidit S. Ladislaus ex Hungarico Sz. Job' Kéz perperam S. Jobi dictam.

S. Emerico pariter duo dies dati II. Septembris depoſitionis. V. Novembris translationis S. Emerici Ducis & Confeſſ. ut vetuſtiſſimæ teſtantur Ephemerides.

PETRUS
REX II.
A. C. MXXXVIII.

PETRUS.

Quo crimine Regni ſui initia corrupit?

1.

PErſolutis S. Stephano juſtis funebribus, ut cautum ante fuerat, Petrus Ottonis Veneti, & Giſelæ Hungaræ filius ſolenni ritu Albæ Regiæ inauguratus, a plerisque fidei Sacramentum accepit; lætos ſibi quisque de illius indole ſpondebat ſucceſſus; at anno vix evoluto, in Viduam Reginam Giſelam, cujus potiſſimum opera ſolium conſcenderat, per ſummam ingratitudinem ſævire cæpit: ex tutore prædo effectus, non modo Theſauris omnibus, quos a demortuo Conjuge liberaliter obtinuerat; verum etiam neceſſariis vitæ ſubſidiis innocentem ſpoliavit: ægre ferebat ſcilicet, a pientiſſima muliere ſe dirigi, ac, cum præter fas quid ageret, etiam admoneri. Giſela ex iis rerum rationibus graviora præſagiens mala, deſerta Hungarica Aula, ad Paſſavienſe Sanctimonialium aſceterium ſe tranſtu-

lit,

lit, atque illic Abbatiſſa vitam ad An. Chr. MXCV. ſanctiſſime produxit. PETRUS.

II. Importuno monitore ſolutus Petrus, diſſimulatum diu in gentem Hungaram odium per ſummam imprudentiam palam cæpit effundere: proceres non minus, atque nobiles nullo diſcrimine deridiculo habere, eorum non ſatis, forte ut ea ferebat ætas, cultos ſugillare mores, eorum ſuperbe deſugere conſuetudinem; ex adverſo exteros omnes & ſolos diligere, cum his verſari familiarius, & omnia inire conſilia, ex his creare magiſtratus, denique aliter, atque a deceſſore tradita acceperat, agere. His cumulus acceſſit intoleranda libido, ad Aulæ Miniſtros Regis exemplo propagata, ut neque matronæ, neque virgines, honeſtiſſimo licet loco natæ, ab eorum intemperantia ſatis tutæ forent. Id cum vehementer diſpliceret Hungaris, Antiſtites & Optimates Regni, habito prius inter ſe conſilio, Regem adeunt, ac a cæpta vitæ turpitudine ut deſiſteret, orant: Ille monitionis impatiens, optima ſuadentes non ſine

Quibus vitiis Hungarorum a ſe animos alienavit?

PETRUS. ſtomacho rejicit, minasque addit, ſi porro moleſti eſſe pergerent, fore, ut Hungaris omni dignitate exutis, magiſtratus quosvis Civiles æque, ac militares exteri impleant. A)

Cur Regno exutus?

III. Pupugit ea res Hungaros, ut jam perpeti potius omnia, quam aperto gentis ſuæ inimico ſubeſſe mallent; deſperatum alioquin fuit de remedio, quod hominum omnium nequiſſimus Comes Budo Regem penitus in poteſtate habens, flecteret, ut libebat pro arbitrio: itaque Proceres Hungari, habitis ignaro Rege Comitiis, e Senatus Conſulto Petrum exauthorant, atque Samuelem Abam potentiſſimum ſuperioris Hun-

A) „ Si aliquamdiu, *inquiebat Petrus*, ſanus „ fuero, omnes Judices, tam clariſſimos, & ſpectabiles, quam Pedaneos, & Centuriones, & Villicos, omnesque Principes, & poteſtates in Regno Hungariæ Teutonicos conſtituam, & terram „ ejus hoſpitibus implebo, & eam univerſaliter in „ poteſtatem Teutonicorum redigam. . . *item* hoc „ nomen Hungariæ derivatum eſt ab angaria, & „ ipſi debent angariari. „ M. Thuroczius Chronici P. II, Cap. XXXV.

Hungariæ Dynaſtam D. Stephani affinem, quoniam Regiæ ſtirpis Duces longe aberant, Regem ſalutant, ſolenni prius jure jurando obſtrictum ad ejiciendum e Regno Petrum, ſic ille tum triennio nondum expleto, ſolio a ſuis depulſus fuit, paulo poſt eidem reſtituendus. Budo verò e fuga retractus a furentibus Hungaris in fruſta conciſus, corrupti Regis, & perturbatæ ſuis conſil iis reipublicæ ſeveras ſane pœnas dedit.

PETRUS.

SAMUEL ABA
REX III.
A. C. MXLI.

SAMUEL ABA

I.

SAmuel præter opinionem ad Regni Hungarici clavum eluctatus, quo ſuorum ſibi amplius conciliaret animos, latas a Petro leges & vectigalia antiquavit; at enim brevi factum ſuum damnavere Hungari: homo enim non ſatis edomitis animi affectionibus, Chriſtianæque ignarus moderationis, ab intempeſtiva crudelitate Regimen

Quomodo Hungarorum exſpectationi ſatisfactum a Samuele?

SAMUEL ABA

men auſpicatus fuit, e leviſſimis perſæpe cauſis in graviſſimas prolapſus ſuſpiciones, Aulæ familiares, atque etiam neceſſarios ſuos indicta cauſa neci dabat, quotquot Petro ante faviſſe compererat, ipſo verni jejunii tempore ſubito comprehenſos, palis ſudibusque configi curarat. Ita tot innocentum pollutus ſanguine Chanadini in ſede D. Georgii M. tumultuarie coronatus fuit, repugnante loci Antiſtite D. Gerardo, qui ob exercitam crudelitatem gravioribus verbis caſtigato, affuturam non tardo pede vindictam, mortemque triennio poſt ſecuturam ſumma cum libertate prædixit.

Quo ſucceſſu ſuſcepta prima Henrici III. Cæſaris Petri cauſa in Hungariam expeditio?

II. Interea Petrus ab ſuis ſe deſtitutum videns, in Germaniam abiit, pedibusque Henrici III. Cæſaris affuſus, opem impenſius flagitavit, Hungariam Imperio Romano fiduciariam fore pollicitus, ſi Cæſaris auxilio reſtitueretur: ea ſpe animatus Henricus, in Hungariam venit cum exercitu, collatis ſemel ac iterum ſignis, cum ſemper victor evaſiſſet, pacem petiere Hungari, nec ille abnuebat, modo quem Regno ejecerant,

ultro Petrum reciperent: dura videbatur ea conditio Hungaris; quamvis enim Samuelis crudelitatem præ Petri vitiis odiſſent, abhorrebant tamen ab omni jurium ſuorum diminutione, ſeu ex Petri cum Cæſare pactione, ſive ex eo, quod Romanus Imperator Regem imponendo quidpiam poteſtatis in liberam gentem exerceret. Henricus tanta apud victos animorum obſtinatione viſa, nec diuturnum, nec tranquillum futurum Petri Regnum exiſtimans, ſi vi adhibita ſolio reponeretur, factis induciis exercitum reduxit, opportuniore fortunam exulis tempore periclitaturus. SAMUEL ABA.

III. Neque ſua deluſus fuit opinione Cæſar, atrox quippe Samuelis agendi ratio in dies gravior accidebat Proceribus, quos cum alienos ab ſe non obſcuris cognoviſſet indiciis, ut vulgi multitudinis certius ſibi attraheret ſtudia, promiſcuam infima cum plebe colere cæpit conſuetudinem, eoque demum prolapſus fuit, ut rem ſuam privatam Sacro-Sanctæ Religioni præhabens, vulgo legi Evangelicæ non ſatis aſſueto, ad genti- Quo item altera?

SAMUEL ABA.

gentilium ſordes redeundi plenam fecerit facultatem, graviſſimarum, quæ deinceps diu Hungariam divexarunt, calamitatum eapropter auctor. Hæc & alia plura cum intoleranda viderentur optimatibus, per legatos Petrum exulem ab Henrico repetunt: arripuit ille tam inſignem clientis reſtituendi opportunitatem, ſine mora in Hungariam profectus, transmiſſo Arrabone, obvium ſibi non procul Jaurino Samuelem adoritur: ambiguo aliquantum marte dimicatum, coorto deinde turbine Regia acies nutare cœpit, quo animadverſo militares Præfecti abjectis ſignis, magno numero ad Cæſareos ſe conferunt, ea proditione ſolvi continuo ordines, retroque cædere, ac in effuſam denique fugam abire. Samuel pernici vectus equo, cum paucis ſuorum diſcrimini ſe ſubduxit, at mox in ſcyllam impegit, cum enim prope tibiſcum nova ex agreſtibus ſupplementa legit, ab eorum, quos Petri cauſa, olim crudeliter necaverat, neceſſariis comprehenditur, multisque confoſſus vulneribus vitam cum Regno perdidit. Corpus aliquamdiu tumulo carens, ad Mo-

naſte-

naſterium prope Saar, quod olim ipſe fundeverat, cum honore translatum fuit. Hic Samuelis exitus fuit, qui neque Religionem, neque prudentiam, neque cæteras animi dotes ad recte, feliciterque gubernandum neceſſarias habuit, odio potius, & errore hominum, quam merito ſuo ad ſolium eluctatus. SAMUEL ABA.

PETRUS RESTITUTUS.

PETRUS.

I.

Regno redditus qualem ſemet exhibuit?

SAmuele peremto, ſine mora Optimates Henrico præſente priſtinam Petro reſtituunt poteſtatem: oblitteratis utrinque Imperiis, cum tranquilla omnia fore putaret Cæſar, domum rediit; at Petrus dubiam ſuorum fidem rurſum veritus, eundem anno inſequente in Hungariam revocat, diuque apud ſe commorantem omni humanitatis officio devincire ſtudet: quo vero certius ab eo deinceps, atque ſucceſſoribus auxilium præſtolari poſſet, renovata priore pactione, ſe una, Regnumque ſuum

Roma-

PETRUS.

Romano Imperio ſubjicit, idipſumque jurejurando confirmat. A) Ea re confirmatas res ſuas exiſtimans Petrus, in priſtina redire vitia, & quos benevolentia, atque humanitate mox principio conciliare opportunius fuiſſet, nova odii & contemtus declaratione alienare cæpit.

Quo exitu vitam clauſit?

II. Hungari Optimates occulta illa Petrum inter ac Cæſarem pacta ſubodorati, libertatem Regni ſui venundari dolentes, atque hinc graviora adhuc prioribus incommoda veriti, inſalutato Rege Chanadinum confluunt, optimumque fore conſtituunt, ſi Regiam ſtirpem domeſticam tot olim annis ſibi imperantem, avitum in ſolium reponant. Quapropter evocatum per celeres nuncios e Polonia Andream Regem ſalutant. Petrus inopi-

A) Utraque hæc pactio irrita cenſenda eſt, quod citra gentis conſenſionem, atque a Rege liberis ſuorum ſuffragiis ad ſolium evecto facta fuerit; quare nihil per eam ſive Regni Hungarici libertati detractum, ſive Romano Imperio acquiſitum fuit. Vide Hung. ſemper liberam. Cap. II.

PETRUS.

inopinata univerſi Regni defectione perculſus, cum in Auſtriam ad Levirum ſuum Adalbertum Marchionem properat, ab Hungaris circumventus, cæſis comitibus capitur, effoſſisque per ſummam crudelitatem oculis, Albam Regiam reductus, anni inſequentis MXLVI. principio infelicem vitam clauſit. Quinque Eccleſiis honorifico illatus tumulo, quam ædem condidiſſe fertur; felicior futurus, ſi pulcherrimas Avunculi regendi dotes imitatione exprimere noviſſet.

ANDREAS I.

REX IV.

A. C. MXLV.

ANDREAS I.

I.

Quam perturbata Regni initia?

PRiusquam Hungarico diademate conſueto ritu inaugurareťur Andreas, adeo perturbata fuére omnia, ut non modo Religio, ſed etiam reſpublica omnis peſſum itura videretur. Vulgus Samuelis conniventia reguſtatis avitis ſuperſtitionibus ferociens, Vatha Duce magno confluit nume-

ANDREAS I.

ro, inconditisque vocibus ab Andrea poſtulant, ſibi ut liceret veteri ritu vivere, in Antiſtites, Sacerdotesque Chriſtianos ſævire, quibus ſuperſtitibus nunquam Regno pax conſtatura eſſet. Andreas nondum Regni ſecurus, præcipue quod videbat Leventam fratrem abjecta Chriſti fide perduellibus ſemet ſociaſſe, negare auſus non fuit. Ruptis itaque frænis impii deſertores in omnem effuſi licentiam, continuo cœnobia templaque convellere, Chriſtianos omni injuriæ genere laceſſere, Sacerdotes ad necem impune conquirere. A) Proh DEUM bonum, quanta hæc rerum converſio, tam recenti adhuc S. Regis & Apoſtoli memoria! ex quo pronum eſt colligere, quæ vis ad ferociſſimos in officio retinendos inſit Religioni; qua ſemel ex animis profligata, nulli jam aggeres ſcelestorum licentiæ poſſunt objici.

II. Suis

A) Præter innumeros Curiones Sacros, & D. Benedicti filios eo torrente abſumtos, ex Antiſtitibus ſanguine ſuo Eccleſiam Hungaricam rigavere: S. Gerardus Ep. Chanadienſis, Buldus Agrienſis, Benetha ſive Bezterthus Nitrienſis, Deda Quinque-Eccleſienſis. Ann. Reg. ad An. Chr. MXLV.

ANDREAS I.

Quibus articulis procurata tranquilitas?

II. Suis hæc ſpectabat oculis quacunque tranſiret Andreas Albam, ad inaugurationis ſolennia maximis properans itineribus; quo cum perveniſſet, in trium Antiſtitum qui ægre cædem evaſerant præſentia unctus coronatusque, continuo de porrigenda intereunti Hungariæ ope deliberationem habere inſtituit. Commodum per eos dies Leventa, incertum quo mortis genere ſublatus, Andream metu graviſſimo liberavit: Nil itaque ſibi amplius cunctandum ratus, ante omnia Petri Regis Sicarios condignis affici curavit ſuppliciis, ſapienter exiſtimans, Regum parricidas nullo unquam colore a ſcelere excuſari poſſe; valuit exemplum ad percellendos fœdiſſimos Religionis deſertores, qui duce ſuo deſtituti, paria ſibi imminere putabant, in hos ne quid acerbius tum quidem conſtitueret Andreas, metu Henrici Cæſaris prohibebatur, quem Petri cauſa vindictam parare certis adferebatur nunciis, quare ut hominem deliniret, rebusque ſuis opportunam obtineret pacem, tributum annuum, quod Petrus promiſerat, ultro per Legatos obtulit: diſſimulavit ſuam

ANDREAS I.

tunc mentem Henricus, quod Flandricis turbis implicitus, domo abire non poſſet.

Quam ſeveris legibus compreſſa gentilium licentia?

III. Ea ceſſatione in Regni ſui commoda uſurus Andreas, indicto Albam Regiam conventu, ad reſtituendam reipublicæ tranquillitatem utiliſſimas pertulit leges: „ Ut „ quicunque Hungarus ſeu peregrinus, in „ Hungaria depoſito ſcythico gentili & eth„ nico ritu ad veram JESU Chriſti fidem il„ lico non rediret, ac Sacram Legem a D. „ Rege Stephano traditam non reciperet „ capite & bonis mulctaretur. Civitates, „ oppida, villæ, templa demolita diruta„ que reficerentur. Pontifices & Collegia „ Sacerdotum priſtino more obſervaren„ tur. Ritus omnes Chriſtiani revocarentur. „ Profanas & Scythicas cæremonias, falſos„ que Deos abrogarent, & ſimulacra demo„ lirentur. Si quis DEO Sanctisque ejus, „ & Sacerdotibus malediceret, aut in eos „ mali aliquid patraret, DEI primum, tum „ vindictam ſuam incurſurum ſe ſciret. „ Quicunque Sacris addictum, aut etiam „ profanum hominem occidiſſet, peccatum

„ more

„ more veteri expiaret, omnes demum a „ cædibus, latrociniis, ac cæteris injuriis, & „ vi abſtinerent, qui vero conſtitutionem „ hanc contemneret, aut ei animo relu„ ctaretur, capitis & rerum omnium reus „ eſſet. „ A) Poſt hæc Andreas Rex, ac optimates ad DEO pro tot criminibus damnisque Eccleſiæ illatis ſatisfaciendum, ſolenne nuncuparunt votum tridui-vigiliarum ante Feſtum D. Petri Apoſtolorum Principis. B) Tam ſeveris legibus per univerſum Regnum promulgatis, cum Andreas perpetuam in bene cæptis retineret conſtantiam, brevi priſtinus Religioni redire ſplendor, Antiſtites cæterique Sacerdotes ſecurius ſuis agere in Eccleſiis, Cœnobitæ e ſolitudinibus ſua repetere monaſteria, perduelles denique acta pœnitentia, ad DEI, quodque huic affine eſt, Regis ſui obſequium redire: ut adeo Andreas non immerito

ANDREAS I.

A) In Corpore Juris Patrii. Decret. Andreæ Reg.

B) Voti hujus meminit Decretum S. Ladislai Reg. Lib. I. Cap. XXXVII.

ANDREAS I.

Chriſtiani ſceptriferi appellationem obtinuerit. A)

Quomodo pax cum Henrico Cæſare coaluit?

IV. Jam tranquilla domi erant omnia, cum moleſtiſſimum ab Henrico Cæſare exſurgit bellum, cui propulſando quoniam Regno tot cædibus exhauſto impar ſibi videbatur Andreas, exemplum D. Stephani Regis in diſcrimine haud abſimili ſecutus, vovet, ſe Magnæ Hungarorum Dominæ ac D. Aniani honoribus cœnobium S. Benedicti filiis in Tihan poſiturum, ſi bellum Germanicum e ſententia cederet: placuiſſe Divis promiſſa exitus probavit: prima Henrici Cæſaris expeditio in irritum abiit, quod corruptis prius per Hungaros agris abactisque pecoribus inedia laborantem exercitum e vacua regione reducere oportuerit. Huic incommodo ut proſpiceret Cæſar, triennio poſt redux numeroſam ſecundo

A) In charta fundationis Tihanienſis ſic orditur: „ Andreas Pannoniorum invictus Rex, & Chriſtianiſſimus Sceptrifer &c. „ Concil. Hung. P. Péterſi T. I. pag. 12.

de Danubio vehebat annonam, longiore tempore copiis ſuis ſuffecturam: verum perforatis Hungari militis dolo navigiis, demerſa omni annona, rurſum re infecta diſceſſit, tertiam totis viribus adornaturus expeditionem: moleſtiſſimo ac Hungariæ maxime noxio bello Andream liberaturus Leo IX. Pontifex, in caſtra Henrici pervenit, egitque tam diu, donec placato Cæſare pax confieret, quæ ut eſſet firmior, Salomoni ex Agmunda Ruſſa Andreæ filio Henrici filiola Sophia nomine ſolenni ſponſione promiſſa fuit. Atque hoc tempore Andreas, quo arctius ſibi filioque olim adſtringeret Cæſarem, quæpiam gentis Hungaricæ libertati adverſantia pacta iniit, gravibus deinceps turbis occaſionem præbitura: cunctis utrinque jurejurando firmatis, Cæſar maximis excultus muneribus domum revertit.

ANDREAS I.

V. Compoſita hunc in modum foris pace, domi quieto eſſe non licuit per Belam fratrem: res ſic habet: demortuo Leventa, confirmata Regni Hungarici poſſeſſione, Andreas Belam fratrem e Pomerania

Quæ diſſidiorum Andream inter & Belam fratres initia?

ANDREAS I.

evocaverat, ut prius exilii; ita nunc melioris fortunæ ſocium ſuturum, atque in curis reipublicæ adjutorem, quia vero ad eum diem prole carebat, improvido ſane conſilio Regnum ſe illi inſuper relicturum ſpopondit: A) hac ſpe animatus Bela, ſedulam pace bellove fratri navabat fidelemque operam; Andreas interea temporis maſculo auctus hærede curas omnes ad procurandam filio ſucceſſionem tranſtulit, re, ut ſuperius memini, cum Henrico Cæſare confecta, omnem exequendi conſilii quærebat opportunitatem. His curis anxium ſubda corripuit paralyſis, ex qua cum non diuturnam ſibi fore vitam crederet, accitis Albam Regiam Optimatibus auctor fuit, ut quoniam & morbi & ætas ingraveſcebat, ſeptennem filium Salamonem ſucceſſorem legerent,

A) In hunc ſenſum ſcriptas ad Belam litteras refert M. Thuroczius: „Rogamus te frater dilectiſſime, „ut ad nos non tardes venire, quatenus conſortes „ſimus gaudiorum, & bonis Regni corporali præ„ſentia gaudentes communicemus: neque hæredem „enim habeo, nec germanum præter te, tu ſis mihi „hæres, tu in Regnum ſuccedas.„ Chron. cap. XLII.

gerent, ſeque adhuc vivo diademate inſignirent. Annuere cuncti a) Summis Belæ Ducis ingratiis, qui præter ſpem omnem Regnum ſibi a puero præripi videbat, neque intimum eapropter animi dolorem ſatis diſſimulare noverat: Andreas id conſpicatus, veteriſque promiſſi ſui probe memor, fratris fidei diffidere, ac in omni cum eo agendi ratione quidpiam alienationis timoriſque præſeferre cœpit: ſic comparatis utrinque voluntatibus ſupervenere adulatores, deteſtandum hominum genus, auctiſque per compoſitas narrationes utrinque ſuſpicionibus, diſſidia in apertum bellum deduxere.

ANDREAS I.

VI. Bela nil certius atque ſtructas ſibi a Rege inſidias putans, in viciniam deceſſit Poloniam, auxilia conquiſiturus: Andreas, quo ſe adverſus fratris impetus comparararet, conjuge cum filio Salamone ac theſauris ad Erneſtum Marchionem in Auſtriam

Quis belli fraterni finis?

a) Peracta fuit inauguratio An. Chr. MLVIII. ejus circumſtantias lege apud Thuroczium: Chron. cap. XLIV.

BELA I.
REX V.
A. C. MLX.

BELA I.

Quo jure ſolium conſcendit?

I.

BEla ſive Adalbertus audito Andreæ Regis obitu, Albam Regiam tetendit, ubi Procerum rogatu corona incinctus, Regnum Salamoni tum abſenti præripuit; tenera pueri ſub Cæſaris Imperiique Optimatum tutela conſtituti ætas pleroſque ad id conſilii adduxit: metuebant inſuper, ne Henricus IV. Cæſar ſui tuendi pupilli ſpecie, donec adoleſceret, res Hungaricas pro arbitratu ſuo diſponeret, juraque illa, quæ ex privatis Petri & Andreæ Regum promiſſionibus Romano Imperio aquiſita rebatur, paulo amplius interea roboratum iret: tanto ut obviam irent incommodo Hungari, Belam virum fortem, longoque Regni uſu apprime exercitatum ſibi legendum putavere, præcipue, quod perturbata nonnihil domi erat respublica, quæ præſentem opem poſtulabat, cui ferendæ Rex puer impar videbatur.

II.

BELA I.

Quibus artibus omnium in ſe ſtudia convertit?

II. Expectationi, quam de illius virtute prudentiaque conceperant populares ſui, egregie Bela mox reſpondit: inſigni clementia & æquitate; nihil imprimis acerbi conſtituit in eos, qui aperte Salamonis favebant partibus, aut etiam cum eo apud Cæſarem aberant. Qua moderatione id conſecutus fuit, ut brevi omnes ad ejus redirent obſequium. Vectigalia ultra modum exaggerata antiquavit, ratus nusquam Reges penuria laboraturos, ſi ſui abundarent. Quo facilior victus cæterarumque rerum ad vitæ humanæ uſum neceſſariarum eſſet procuratio, in civitatibus oppidisve ſingulis quavis hebdomada forum haberi voluit; at ne dolo fæneratio-nive locus foret, quarumlibet mercium pretium pro temporum locorumve ratione æquiſſime definivit, quo poſtremo incredibile quanta ſocietati humanæ, præcipue quibus anguſtior res domeſtica fuit, attulerit commoda. Denique profligatis ſubleſtæ fidei pecuniis, ejus probitatis molisve denarios argenteos cudi fecit, ut eorum quadraginta Biſantium hodiernis no-

ſtris

BELA I. ſtris aureis non inferiorem exæquarent. A)

Quomodo gentilium compeſcuit licentiam?

III. Omnia hæc ex æquitate prudentiaque inſtituta valuere ad procurandam reipublicæ felicitatem, devinciendosque novo Regi ſanioris partis animos, non tamen prohibere poterant, quo minus perfida plebs aliquid novarum rerum moliretur: Rex Bela, quo leges, quarum ſupra mentionem retulimus, ad omnium conſcientiam pervenirent, coactis Albæ Regiæ Comitiis, ſingulis ex oppidis vicisque binos illic adeſſe voluit: venere illi, ut juſſi fuerant, at ingentem una vulgi multitudinem eo ſecum attraxere. Apertis comitiis, extemplo incondita plebs feroces inter minas priſtinas repetere ſuperſtitiones, ædium ſacrarum ruinam expoſcere, Epiſcopos & Sacerdotes ad necem deſignare, nunquam ſe Regi obtemperaturos, niſi ante ſuis ſubſcriberetur poſtulatis.

A) Extant complures Belæ Regis argentei nummuli, uti etiam Andreæ, Samuelis, Petri, ac D. Stephani, omnes Cruce ſignati.

BELA I.

ſtulatis. A) Bela his non magnopere turbatus, placido ſermone confertum vulgus quieſcere tantisper jubet, dum quid ea ſuper re Optimatibus videretur, cognoſceret: re ſuis deinde explicata, cum Antiſtitum una atque Optimatum una eſſet vox: Religionem D. Stephani plantatam ſudoribus ad extremum usque tuendam eſſe, ſigno dato per diſpoſitos opportuno loco ſatellites præcipua factionis capita comprehendi, virgis cædi alios: alios ad mortem rapi imperat: ea ſeveritate conſpecta reliqui præcipiti fuga ſibi conſulentes, ad lares ſuos tranquilli rediere, nunquam deinceps ſacrilega ſua poſtulata integrare auſi.

Quo mortis genere obiit?

IV. Hos inter regiminis ſui ſucceſſus graviſſima Belam de Salamone inceſſerat ſolli-

A) Juvat impia eorum poſtulata huc adducere: „ Concede, inquiebant, nobis ritu Patrum noſtro„ rum in paganismo vivere, Epiſcopos lapidare, „ Presbyteros exterminare, Clericos ſtrangulare; de„ cimatores ſuſpendere, Eccleſias deſtruere, campanas „ confringere „ M. Thuroczii Chronic. cap. XLVI.

BELA I. ſollicitudo, quem donec ſub Imperii Romani tutela cernebat, neque ſuas, neque Regni res tranquillas diu fore ſapienter exiſtimabat, crebris itaque nunciis Regium Principem, imo coronatum jam Regem poſt ſe indubie regnaturum ab Erneſto Auſtriæ Duce repetebat, quo Adoleſcentem ſua in diſciplina opportunis ad ſolium præceptionibus inſtitueret, A) ne ſi extra patriam educeretur, quidpiam ei externorum morum, ut olim Petro Regi, adhæreſceret. Erneſto metu Cæſaris id abnuenti, ſine mora bellum intulit, unde ingenti cum clade repulſus, cum de novis militum ſupplementis Conventum celebrat Dômôſini, infauſto caſu e ſella prolapſus, mox vivere deſiit; corpus ad Szekſzardienſe monaſterium, quod ipſe fundaverat, deductum Regio honore huma-

A) Hoc conſilio repetitum Salamonem, ſuadet ſingularis Belæ moderatio & æquitas, quibus ille virtutibus in Regno conſpicuus fuit, ſuadet filiorum integritas, alienus a Regni ambitu animus, ſincera denique Salamonem avito ſolio reſtituendi voluntas, quos animi ſenſus a quo, niſi a Patre dedicisse potuerant?

humatum fuit An. Chr. MLXIII. a) Regni ſui triennium immortali cum laude explevit, majorem ad poſteros habiturus gloriam, niſi haud ſatis æquis artibus illud fratri Andreæ, & Nepoti Salamoni ereptum iviſſet.

BELA I.

S. SALAMON
REX VI.
A. C. MLXIII.

S. SALAMON.

I.

Cujus beneficio patrium recepit thronum?

A Morte Regis Belæ ſceptrum in Geiſæ & Ladislai filiorum poteſtate fuit, in quos proniſſima fuere Procerum ſtudia; verum illi, ut ab Regni ambitu ſe alienos palam facerent, egere tam diu apud ſuos, dum denique omnes inducerent ad reddendum ſolio paterno Salamonem, unde citra

L noxam

a) Ex Pomerana conjuge complures Belæ fuere liberi: Geiſa, S. Ladislaus, Lampertus, Anonyma Zvonimiro Croatiæ Regi: Jejada Wilhelmo Thuringiæ Marchioni, Ludmilla Ottoni Moravo, ac Amabilis denique Uladislao I. Bohemiæ Regi nuptui datæ.

S. SALAMON.

noxam excludi non poterat. A) Rara ea Ducum continentia mirifice delectatus Henricus IV. Cæſar, ſine cunctatione Affinem ſuum Salamonem cum conjuge Sophia in Hungariam adduxit: poſitis ſimultatibus, amicitia Regem inter ac Duces ita coaluit, ut tertiam Hungariæ partem obtinerent, quemadmodum olim Bela Parens ab Andrea Rege, unde vitæ pro Ducum dignitate traducendæ ſubſidia caperent. Henricus Cæſar ne quid ex parte ſua ad eam amicitiam conſervandam conciliandosque novo Regi Hungarorum animos deſideraretur, cunctis ſemet juribus in Regnum Hungaricum abdicavit. B) quo mirum in modum geſtientes Opti-

A) Perperam Thuroczius Belæ filios legitimo Regi Salamoni in ipſo Regni aditu perduelles facit, quos præcipuos revocandi illius auctores fuiſſe exteri teſtantur. Schafn. in Chron. ad An. Chr. MLXIII. Afoldus ad eundem annum cit. in Annal. Reg. ad hunc annum.

B) „Henricus, inquit Schafn. L. c. Salamonem „in ſolium Patris reſtituit, juncta ei in Conjugem „ſorore ſua, oblatisque omnibus, quæ Regi ſcru„pulum movere vel Regni ſtatum labefactare po„terant.„ Vide Annal. ad an. cit.

Optimates, dato continuo, acceptoque fidei Sacramento, Salamoni Regium diadema iterum ſumma conſenſione imponunt. Inaugurationem excepere nuptiæ præſente Henrico Cæſare cum Auguſta ſponſa celebratæ. S. SALAMON.

II. Henrico Cæſare ex Hungaria digreſſo, tranquillitas omnis una abſceſſiſſe videbatur, jacique cæpere graviſſimorum odiorum bellorumque ſemina, quæ nonniſi exauthorato Salamone conquievere. Malorum omnium cauſam ferunt Comitem quemdam Vid appellatum, qui, ut erat omnium callidiſſimus, in ipſo Regni principio adulatione aliisque affinibus artibus ita adoleſcentis Regis aures animumque ſibi obſtrinxerat, ut quidquid diceret, oraculi inſtar ab illo acciperetur, nihilque prorſus absque ejus conſilio ſuſcipi ommittive poſſet. A) Ea Regis gratia abuſus

Quæ Regem inter ac Duces odiorum cauſæ?

A) „Regebat, *teſte Thuroczio*, Vid ſic Regem, ſicut Magiſter diſcipulum, eratque ſibi de jure ſine omni jure ſubditus, quod cavendum eſt omnibus hominibus, ſed maxime Regibus.“ Chron. cap. L. II.

S. SALAMON.

ſus homo vaferrimus, ac ad majora tentanda incitatus, in ſpem venerat fore, ut ſublatis e medio Ducibus, eorum ditione potiretur: A) id ut rite fieret, diſſidia primum ſibi inter utramque partem ſerenda exiſtimavit. Itaque Regi ſine mora perſuadet, ne tertiam, ut conventum erat, Hungariæ partem Ducibus traderet, propterea, quod perpetuum ab eis tantæ ditionis acceſſione auctis Regiæ dignitati immineret periculum. Paruit conſilio Salamon, diuque procraſtinata regionis traditione, ad extremum citra ambages id ſe facturum negavit; ea re vehementer commoti Duces, cum nequidquam precibus egiſſent, ad Boleslaum propinguum ſuum in Poloniam confugiunt: ille Ducum ſortem miſeratus, etſi ruſtico tum forte premeretur bello, continuo cum exercitu Hungariam ingreſſus, armorum terrore ad ſaniora conſilia Salamonem inclinatum iri putabat.

III.

A) Ibidem.

S. SALAMON.

III. Salamon nihil eo turbatus apparatu, Vidi conſilio omiſſa pacis tractatione, vim vi parabat repellere: verum Antiſtites, quos injuriæ Ducibus illatæ non fugiebant, ne civilli bello ſanguis funderetur innoxiis, curas omnes & cogitationes ad redintegrandam intendere amicitiam. Duces itaque primum adeunt, pronosque ad pacem amplectendam, modo iis, quæ ſibi deberentur, citra fraudem potiri liceret, nacti, ad Salamonem reverſi, ſuas apud eum pro Ducibus preces interponere, damna communesque Regno toti calamitates e bello recenſere, nihil denique omittere eorum, quibus ille flecti poſſe videretur. Salamon ſive Antiſtitum precibus aliquid tribuendum exiſtimans, ſive ancipitem belli aleam veritus, annuit denique, cunctaque ſe ex æquitate facturum ſpopondit, nec ſecus præſtitit: confectæ continuo pacis tabulæ, quibus de tradenda Ducibus ditione ſua cautum, redintegrataque amicitia; quo tempore præter morem Geiſa Dux diadema Regium capiti Salamonis impoſuit, ſicque ille tertium jam inauguratus fuit.

Quomodo ſublatæ?

S. SALAMON.

Quanta hinc Salamoni & Regno commoda?

IV. Ex eo die fidiſſimos ſibi Regnoque utiliſſimos habuit Duces Salamon, compluraque illorum auſpiciis felici ſemper exitu bella confecit. Cumani Pacinacitarum poſteri e tranſalpina, quam tum colebant, Regione in Hungariam infuſi, Biharienſem agrum impune vaſtarant, opimisque onuſti ſpoliis & ingente captivorum numero reditum adornabant; verum a ſupervenientibus Geiſa & Ladislao Ducibus internecione prope deleti ſunt. Major longe virtus in Bulgarico eluxit bello; aſſumtis in belli ſocietatem Græcis, Bulgari ſuperato Iſtro, vicinas Hungariæ plagas crudelem in modum depopulati fuere, ad ejiciendos Regno infeſtos hoſpites generali expeditione decreta, Rex ipſe Salamon cum Ducibus ſecundo profectus Danubio, ſuperatis navali certamine hoſtibus, ſigna ſua, in Serviam tranſtulit, Belgradumque arctiſſima cinxit obſidione. Tres hic menſes pugnatum cum ob loci firmitatem, tum vero inſignem obſeſſorum virtutem: ad extremum proſtratis improbo labore mœnibus, patefacto in urbem aditu, cum forte obſeſſi in reſtinguendis occupan-

tur

tur ignibus, quos puella Hungara opportune ſubjecerat, Geiſa per murorum ruinas cum ſuis eluctatus, urbe non ſine ſanguine potitus fuit: ingens hic theſaurus in Hungarorum venit poteſtatem, quem cum Salamon ex arbitrio Vidi maligne diviſiſſet, nonnihil eum inter ac Duces ſimultatum obortum fuit, quibus novos brevi invidia ſubjecit ignes: præſidiarii Græci, qui capta urbe in arcem ſe receperant, deſperatis ſuppetiis, præterito Rege, cum Geiſa de faciendi deditione paciſcuntur, obtentaque libere ſuis cum rebus diſcedendi facultate, ad ſuos reverſi, clementiæ ac humanitatis ſibi a Geiſa præſtitæ famam in Græciam propagarunt. S. SALAMON.

V. Duplex hoſtis brevi profligatus tempore, dives mercatuique faciendo peropportunum oppidum cum munitiſſima arce feliciter expugnatum, ditio denique Hungarica ad Moravam usque flumen in Servia prolata, novos apud Regem æquitatis ſtudioſum provocatura erant favores; at Salamon eam Ducum gloriæ acceſſionem ſuam Unde novæ iterum ſimultates?

ratus injuriam; alia omnia cogitabat. Vid ſumta inde Duees criminandi opportunitate, graviſſima ſuſpicione metuque Regis captivi animum complevit: ajebat eum ſuperſtitibus Ducibus in continuo Regni amittendi verſari diſcrimine: magnam eſſe Geiſæ, magnam Ladislao apud Hungaros exiſtimationem, quam præteritis bellis ſibi collegiſſent: magna horum in eos ſtudia exquiſitis humanitatis & benevolentiæ officiis provocata: ſigno dato, Hungariam omnem adverſum Regem ſuum in armis futuram: conjurationem adjutum iri a Polonis, Moravis, quin etiam a Bulgaris & Græcis, quos nuperna ſibi Geiſa Belgradi conciliaverat clementia; non aliam reſtare ſalutis viam, niſi Ducibus clam e medio ſublatis, eorumque ditione ſibi, qui unus omnium in Regis commoda ſecuritatemque ſincere excubaret, tradita. a) Ita nempe Regiæ ſalutis obtentu ſuas velabat cupiditates nequiſſimus ille adminiſter.

VI.

a) Idem cap. LI. & LII.

S. SALAMON.

Qualibus appetiti inſidiis Duces?

VI. Specioſa hæc argutatio tantum valuit apud Salamonem, ut fidei, amoris, obſequiorum ac ſanguinis etiam vinculorum oblitus, collocatis clam inſidiis, Duces conſilii cujuspiam ineundi ſpecie ad ſe evocaret, opprimendos. Geiſa id quod erat tempeſtive edoctus, Ladislao, & Lamperto fratribus in proximo cum delecta militum manu conſiſtere juſſis, Regi ſe ſiſtit intrepidus: verum Salamon, quod non omnes una in poteſtate haberet, nullo affectum maleficio Geiſam dimiſit; hic vero nihil jam de crudelibus Regis artibus dubitans, incaſſum tentata per Antiſtites concordiæ tractatione, quo ſe adverſum vim omnem communiret, Lampertum ad Polonos, Ladislaum in Ruſſiam primum, tum in Moraviam auxiliorum cauſa dimiſit. Salamon interea commutata repente voluntate, quo facilius Duces falleret, ſemeſtres conceſſit inducias, dum ex Vidi ſui conſilio tres Geiſæ familiares multo auro promiſſisque oneratos in ejus necem concitat: verum hos etiam caſſes tempeſtive ſibi proditos incolumis evaſit Geiſa.

S. SALAMON.

Quo ſucceſſu primum cum Geiſa prælium geſtum ?

VII. Salamon prædam præter ſpem elapſam dolens, priusquam Polonorum Moravorumque adeſſent auxilia, Geiſam ad Tibiſcum delectus habentem oppreſſurus, ad ineundum certamen cogit: ille copiarum numero multum inferior diu inſigni prudentia & fortitudine victoriam moratus, ad extremum ne ſuam ſuorumque vitam inutiliter prodigeret, prælio inferior exceſſit. Sic tum Salamon triumphum reportavit, ſed qui neque decorus, neque jucundus illi eſſe potuit, quia innocentum civium ſanguine pollutus.

Quam infelici fato victoria & Regno exutus Salamon?

VIII. Geiſa ab infelici eo prælio magnis itineribus Vacium contendit, quo ſuppetiæ a Ladislao & Lamperto fratribus propediem adducendæ nunciabantur. Salamon nuperna elatus victoria pariter eo cum exercitu properavit. Hic Ernyejus Comes & rebus geſtis, & fide in Regem conſpicuus, non ſine lachrimis Salamonem a propoſito abducere, atque ad pacis conſilia revocare adniſus fuit: ille homine non ſine ſtomacho rejecto, quod Vidus elevato hoſtium robore indubiam pol-

licere-

S.SALAMON.

liceretur victoriam, ordinata rite acie claſſicum inſonare jubet. Duces ex adverſo conciliato, nuncupatis ſolenni ritu votis, numine A) quin & cæleſti oſtento in ſpem erecti B) ſuos pariter magna vi in Regis aciem propellunt, incredibili utrinque fortitudine dimicatur, præliumque in plures protrahitur horas, Salamone & Ducis, & militis partes ſtrenue exequente: demum Ernyejo & Vido cum fortiſſimis quibusque cæſis, profligatus Salamon, Moſonium atque inde Poſonium ad Matrem, conjugemque inglorius redivit. Auxit cladis magnitudinem amiſſum cum victoria Regnum, nullis deinceps artibus recuperandum. Huc nempe Regem cætera non malum adduxere fraudulenta Vidi conſilia, cui uni aures gerebat addictas: felicius regnaturus, ſi neque cæco

A) Geiſa in B. Virginis Mariæ, Ladislaus in D. Martini memoriam Eccleſias ſe conditur os voverunt ſi victoria potirentur: utrumque poſtea factum. Ibid.

A) Dum aciei diſponendæ vacarent, viſus eſt ſibi videre Ladislaus Angelum coronam auream Geiſæ capiti imponentem. Ibid.

S. SALAMON.

cæco voluntatis impetu in omne id, quod ſuggerebatur, citra disquiſitionem ruiſſet; neque in unius ſemper abiiſſet ſententiam.

GEISA I.
REX VII.
A. C. MLXXIV.

GEISA I.

I.

Cur exauthoratus Salamon?

Victoriam non incruentam ad Vacium conſequutus Geiſa, ſuis ab inferenda fugientibus cæde prohibitis, ſolennes in loco prælii DEO habuit gratias, conditoque ſubinde Epiſcopatu voti ſemet Religione quam cumulatiſſime exolvit. Promotis interea caſtris, urbibus præcipuis in fidem acceptis, præſidioque impoſito exercitum domum remiſit, nil æque in votis habens, atque ut obliteratis utrinque injuriis pax firma rurſum confieret. Verum Proceres tot calamitatum pertæſi, Albam Regiam magno confluxere numero, de curandis reipublicæ vulneribus in commune conſulturi. Nec mora Salamonem ceu Ducum innocen-

GEISA I.

nocentum oppreſſorem, publicæque tranquillitatis perturbatorem exauthorant, eique unanimi conſpiratione Geiſam ſufficiunt. Ille fidei coronatis capitibus debitæ memor, diu fortiter Regiam deprecatus dignitatem, inaugurari ſe ut ſineret, induci non potuit; reipublicæ nihilominus, ne capite deſtituta, detrimenti quid acciperet, ægre demum curam admiſit, ab inſigni hoc fidei modeſtiæque exemplo potius, quam bellica virtute magni cognomento digniſſimus. A)

Quid ejus cauſa actum a Cæſare?

II. Salamon procerum voluntate cognita, Regni amiſſi dolore amens, omnemque certus movere lapidem, opem ab Henrico Cæſare affine ſuo efflagitat; præter ſenas Hungariæ urbes dono oblatas, vectigalia maxima pollicitus: neque diu opem Cæſar diſtulit, lectiſſimisque inſtructus copiis per Poſonium appulit; ſed arcibus aliquot ad Vagi littora expugnatis, a proſequendo bello

A) Domeſtici Scriptores omnes Geiſæ Magni, Regis appellationem tribuunt.

GEISA I. bello, incertum qua de cauſa, repente deſtitit. Credibile eſt, ob alienatos a Salamone totius gentis animos, prudenter exiſtimaſſe Cæſarem, majus ſe viribus bellum ſuſcepiſſe, nullo aut exiguo Romani Imperii commodo terminandum; certe Patriarcha Aquilejenſis præcipuæ tum authoritatis, Ducesque cæteri modis omnibus ab eo continuando Cæſarem abducere ſunt conati. Nil ſibi in Cæſaris ope ſpei relictum videns Salamon, ad Gregorii VII. Pontificis æquitatem confugit: Ille ob nupernam jurium Hungariæ nundinationem graviter objurgato, præter ſpem auxilii nihil attulit. Hoc rerum poſitu, Optimates Regni, cum nil amplius ſibi a Salamone præſidiis omnibus deſtituto timendum cenſerent, Geiſam Albam Regiam deductum, quanquam invitum, Regio diademate inſignivere. An. Chr. MLXXVI. a)

III.

a) Ephemerides antiquiſſimæ manu exaratæ, uno ante obitum anno coronatum Geiſam ſcribunt: eas e tenebris felici omine protraxit P. Georgius Práy e S. J. maximo ad Chronologiam corrigendam uſui futuras.

GEISA I.

Qua rara cum laude Regnum vitamque poſuit Geiſa ?

III. Ex eo tempore bellum Salamonem inter Poſonii agentem, & Ladislaum ſingularibus potius certaminibus ac velitationibus gerebatur, quam juſtis præliis, nullo quidem æmulorum commodo, certo tamen ſemper civium damno: cui ut finem imponerent Antiſtites, pro virili curabant. Commodum Szekſzardini Regni conventus habebatur, quo durante cum Natalis Domini dies incidiſſet, Deſiderius Strigonienſis Archi-Epiſcopus accommodata ejus feſti celebritati oratione de pace concordiaque tanta vi diſſeruit, ut Geiſæ animum acerrimis Religionis ſtimulis compunxerit, ſermone finito, profanis hominibus exeſſe tantisper juſſis, in genua coram Epiſcopis provolutus Geiſa, ſe peccaſſe, Regnumque legitimo Principi contra fas eripuiſſe confeſſus, ſancte recepit, ſe ſolio ſponte ceſſurum, modo ſibi tertia Regni pars, ut olim conſtitutum fuerat, redderetur. Tam inſigni Religioſiſſimi Regis magnanimitate commoti Antiſtites primum, mox Optimates cæteri conſilium revocandi Salamonis, amicitiæque inter æmulos componendæ probavere. Nec

mora

GEISA I. mora arbitri nominati, qui rei perficiendæ ſedulo darent operam, ſed præter opinionem accidit, ut tractatio ea per plures menſes nullo pretio operæ tentaretur ſæpius, donec Geiſa lethali correptus morbo VII. Calend. Maji vivere deſiit Ann. Chr. MLXXVII. ingenti ſui apud omnes relicto deſiderio, ab inſigni pietate animique fortitudine. Si quid ſumtis in Regem ſuum toties ſibi infeſtum armis labis contraxit, id certe ſincera pacis ineundæ Regnique reſtituendi voluntate cumulate eluit. Corpus ut teſtamento caverat in Vacienſem illatum fuit. B. V. Baſilicam. A)

S. LA-

A) Ex anonyma conjuge fertur genuiſſe Colomanum, quem alii Ladislai filium faciunt; Almum item & Sophiam Magnonis Saxoniæ Ducis conjugem.

S. LADISLAUS
REX VIII.
A. C. MLXXVII.

S. LADISLAUS.

I.

Jurene Regnum adeptus?

EXtincto Geiſa, nihilo faventior Salamoni fuit fortuna: Proceres quippe, paucis exceptis, Ladislaum Regem juſſere: is, ut erat fratre ſuo Religione non inferior, niſi prius pace cum Salamone compoſita, Regni poſſeſſionem ſe aditurum negavit. Solertius itaque deinceps cum Salamone res agi cæpit: qui pleroſque ſibi infeſtos videns, tantisper poſita ſolii recuperandi ſpe, ſua ad Regnum jura ultro in Ladislaum tranſtulit, retentis aliquot comitatibus, quorum vectigalia ad tuendam Principis dignitatem ſufficerent. Confectis ejus ceſſionis tabulis, ac utrinque ſignatis, Albæ Regiæ coronatus D. Ladislaus, Regnum legitime auſpicatus fuit, A) quod poſtea

M &

A) S. Gregorius VII. continuo in ſuis ad Ladislaum litteris Regem eum appellat, cum tamen Geiſam non niſi Ducis titulo dignatus fuerit: ut videre eſt in Annal. Reg. Hung.

S. LADISLAUS.

& ſanctimonia & rerum geſtarum gloria mirifice illuſtravit.

Quid ei negotii cum Salamone?

II. Haud diu poſt Salamonem facti pœnitentia ſubiit, eoque adduxit temeritatis, ut amicitiæ ſpecie evocato ad ſe Ladislao inſidias ponere non vereretur. Hic de periculo commonefactus, ad condictum diem locumve adfuit, verum multa Procerum militumque manu ſtipatus, convictumque de fraude Salamonem Viſſegradenſi arci incluſit, ne quid porro moliri poſſet. Sed enim alia illum manebant fata; per idem tempus S. Gregorii VII. Papæ juſſu ſacra D. Stephani Regis Apoſtolici oſſa in decentiorem locum transferenda erant, ii, quibus tumuli reſerandi cura credita, nulla vi lapidem ſepulcro incumbentem removere poterant, id cum ſæpius quavis arte induſtriaque adhibita incaſſum tentaretur, rei inſolentia ſtupentes admonuit Virgo quædam Charitas dicta, ſanctimoniæ laude celebrata, divinitus id fieri ob Salamonem carcere detentum. Ladislaus re comperta ubi captivum libertati reſtituiſſet, lapis ille nullo ne-

gotio

gotio revolutus, fidem virgini conciliavit, magnoque poſtea apparatu ac lætitia aſſiſtente Regi Salamone primi D. Stephano ac Emerico honores ſunt peracti.

S. LADISLAUS.

III. Eo fortaſſe prodigio, quo libertatem recepit Salamon, in ſpem Regni erectus, opprimendi Ladislai conſilia rurſum agitare cæpit. Cum vero in Hungaria ob ſincera omnium in Regem ſuum ſtudia nil turbarum cieri poſſe cerneret, ad cumanos abiit, eorumque Ducem oblata Tranſilvania, prædarumque ſpe maxima ad opem ſibi ferendam in Hungariam adduxit: verum Ladislai virtute victus profligatusque, iisdem ſociis bellum in Bulgariam tranſtulit: illic pariter male a Græcis mulctatus, cum paucis ſuorum fuga elapſus, dum per denſiſſimas nemorum anguſtias iter habet, ſenſim humanarum rerum faſtidio correptus, uni DEO ſalutique ſuæ impenſius vacare deinceps conſtituit. Itaque dimiſſis viæ comitibus in Iſtriam delatus, ſolitariam in eremo vitam ducere cæpit, A)

Quæ deinceps Salamonis vitæ ratio?

M 2 mul-

A) Cenſent nonnulli ſed perperam Salamonem lin

S. LADISLAUS.

multisque annis ibidem ſanctiſſime exactis, & ſenio & ſpontanea inedia conſumtus, ad meliorem vitam evolavit, Polæ in Iſtria ſepultus: cujus ſubinde memoriam prodigiis illuſtrem loci incolæ ſacro cultu proſecuti ſunt. Atque hic requiem reperit Salamon ſemel iterum ac tertio coronatus, totiesque ſolio dejectus, in eremo quam Regno felicior.

Quo jure adjecta S. Coronæ Croatia?

IV. Æmulo ſane quam moleſto liber Ladislaus, tuendæ augendæque ſuæ Hungariæ curas omnes ſacravit. Croatiam imprimis ditioni ſuæ conterminam ſacræ coronæ juribus aſſeruit. Zvonimiro, qui Divi Regis noſtri ſororem in matrimonio habebat, ac poſt paulo Stephano Croatiæ ac Dalmatiæ Regibus ſine hærede ſublatis, de novo Rege adoptando Proceres inter ſe diſſidebant, auctis-

in Auſtriæ Monaſterio ad S. Crucem ſubulci habitu vitam egiſſe. Illud vero certius, ſemel eum Colomano vel potius Ladislao rerum potiente in Hungariam ad ſalutandum D. Srephani ſepulcrum veniſſe, ſed agnitum a quibusdam e veſtigio ſemet ſubduxiſſe.

ut vix a gentilibus diſcerneres Chriſtianos. Apud ſacros viros pariter iis temporum viciſſitudinibus laxata diſciplinæ ſeveritate, priſcus ille ardor refrixerat. Cum itaque ordo uterque medicinam expoſceret, binos eum in finem conventus habuit: alterum Szabolchini A) urbe ad Tibiſcum amnem ſita: in ſacro monte Pannoniæ alterum. B) Illic de diſciplina Eccleſiaſtica actum: hic de iis quæ ad profanas leges pertinent: S. LADISLAUS.

A) Titulus Canonum ſic habet: „Regnante „Creatore & Salvatore Domino noſtro JEſu Chriſto. „Anno Incar. ejus MXCII. XII. Cal. Junii in Ci- „vitate Szabolch ſancta Synodus habita eſt, Præſi- „dente Chriſtianiſſimo Hungarorum Rege Ladislao „cum univerſis Regni ſui Pontificibus & Abbatibus, „nec non cunctis Optimatibus, cum teſtimonio to- „tius Cleri & populi.„ Lib.I. Decret. S. Ladislai R. in corpore Juris, & Conciliis Hungariæ T. I.

B) Patet hoc ex initio Decret. Lib. II. „Tem- „poribus piiſſimi Ladislai Regis omnes nos Regni „Pannoniæ Optimates in monte ſancto Conventum „fecimus, & quæſivimus, qualiter malorum homi- „num impedirentur ſtudia, & gentis noſtræ expedi- „rentur negotia.„ Quis vero alter mons ſacer, niſi mons Pannoniæ D. Martino dicatus?

S. LADISLAUS. non abs re erit præcipua conſtitutionum capita hoc loco recenſere.

Quæ leges perlatæ Szabolchini?

VIII. Ad evellendas radicitus gentilium ſuperſtitiones, ſeveriſſimis pœnis interdictum ad fontes lucosve ſacrificare. Provide cautum, ne Ismaelitæ, Saraceni recens ad Chriſtum converſi, priſtinos ritus retineant, neve Judæi Chriſtianas conjuges aut ſervas accipiant. Dominicis feſtisve diebus A) nemo venatui aut mercatui, ne

A) Juvat feſtos dies in decreto enumeratos ſubjungere. Nativitatis, Circumciſionis, Epiphaniæ, Aſcenſionis Domini. Paſchæ, & Pentecoſtes dies IV. Inventio, & Exaltatio S. Crucis. Nativitas, Purificatio, Aſſumtio B. V. Mariæ. Dies feſti ſingulorum ut hodie Apoſtolorum. SS. Michaelis Archang. Joannis Bapt. Stephani Protomar. Georgii, Laurentii, Nicolai, Martini Ep., Stephani Reg. Hung., Emerici Ducis, Gerardi M. SS. Innocentum, SS. Omnium, ac inſuper cujusvis Eccleſiæ Patronorum. Vigiliæ, præter cæteras in Eccleſia uſitatas, præmittebantur feſtis SS. Stephani Regis, & Gerardi M. triduo vero integro cum ante S. Martini, tum S. Petri Apoſtolorum Principis.

ne Judæus quidem vacet. Extra Eccleſiam citra neceſſitatem nulli ſacrum facere liceat. Templa ſubito quopiam caſu Rex: vetuſtate autem collapſa Epiſcopi inſtaurent: Patroni Eccleſiarum ad integram dotem præſtandam per Epiſcopos, ac ſi opus ſit, etiam Regia compellantur auctoritate. Bigamis Presbyteris, vel Diaconis conjuges concubinæve tollantur per Epiſcopos, graviter mulctandos, ſi ea in re conniventes aut negligentiores viderentur. Illis, qui ante ſacros Ordines legitimo ſibi copularant matrimonio conjuges, eousque in conjugio vivere permiſſum, dum de hoc ſedis Apoſtolicæ ſententia cognoſceretur. Presbyter nullus absque litteris commendatitiis poſſit recipi: ſed neque ſine legitima cauſa Eccleſiam cui addictus fuit, relinquere. Latæ a D. Stephano in decimarum detentores pœnæ innovantur. Epiſcopi Monaſteria ſuæ Diœceſeos viſitent, in regularemque Fratrum vitam diligenter inquirant. Adulteria, ſtupra aliave id genus ſcelera uſitatis caſtigationibus plectantur. Hæc fere ſunt

S. LADISLAUS.

Sza-

S. LADISLAUS.

Szabolchenſis concilii decreta e Veterum Canonum placitis deſumta. A)

Quæ item in monte Pannoniæ?

IX. Optimates omnes ſemet jure jurando obſtringere juſſi ſunt, ad dandam ſedulo operam, ne cuiquam furta, quotidiana & communia id temporis vitia impunita abeant, adeo ut ſi quis e Judicum numero in furem e legum præſcripto animadvertere neglexiſſet, libertatis, bonorumve amittendorum reus fieret. Ut fur laqueo vitam finiat, ſatis ſit, rem furto ſublatam decem denariorum valorem æquaſſe: leviora furta naſo oculoque mulctarentur: neque fœminis conceſſa impunitas: matrimonio collocata, amiſſo prius naſo venundari; vidua oculo jubetur orbari. Coercita res alienas, aut ſervos rapiendi retinendive licentia. Illi quoque reſtitutionem facere tenerentur, qui jam inde a Belæ Regis temporibus alienum quidpiam dolo partum poſſiderent. Vagi ſervi, aut pecudes domo fugitivæ forte

A) Vide Concilia Hung. T. I. pag. 15. de ſequ. ubi Canones hi fuſius explicantur.

auctisque partium ſtudiis, cum quisque Regnum ad ſe derivare nititur, tota Croatia civili bello ardere cæpit. Ultimum diſcrimen, quo ab aris & focis propulſarent præcipui Croatarum, queis communis ſalus privatis commodis antehabenda videbatur, miſſa legatione Ladislaum ad reſtituendam Regno pacem evocant. Aderat ille ſine mora, armorumque oſtentatione domitis æmulis, mediterraneam Regionem a turbis liberavit. Tanto beneficio gratiam reddituri Croatæ, agente potiſſimum Regina ſorore ſumma cônſenſione Ladislaum Regem ſalutant. A) Hunc in modum Croatiam adeptus, facile maritimas etiam Dalmatiæ oras occupaſſet, niſi a Cumanis, qui in Hungariam irrupiſſe nunciabantur, fuiſſet revocatus. Itaque Almo Rege Croatiæ conſtituto, domum magnis itineribus properavit. S. LADISLAUS.

A) Annal. Reg. ad An. MLXXXVII. liberalem hanc Croatarum in ſe voluntatem egregie remuneratus fuit, condito Zagrabiæ Epiſcopatu, atque inſigni Canonicorum Collegio. An. Chr. MXCII.

S. LADISLAUS.

Quam proſpere geſtum primum cum Cumanis bellum?

V. Tempori ſane redierat Ladislaus, Cumani enim trifariam diviſo exercitu evaſtata Tibiſci Regione, multis ſequioris ſexus, & imbellis ætatis millibus in ſervitutem abreptis, ad Temeſum flumen rurſum ſe conjunxerant, curatis aliquamdiu corporibus breviſſimo itinere domum abituri: hos itaque ſui ſecuros, quod famam ipſam adventu ſuo prævolaſſet Ladislaus, indagine cingunt Hungari, ac ferociſſimos quosque qui ferro viam aperire tentaſſent impune cædunt: eo in diſcrimine Cumani Victoris clementiam implorare, liberumque reditum præda omni reſtituta paciſci; ſed Ladislaus per præconem edici juſſerat, non aliter libertatem habituros, quam in Hungaria remanere, ejuratisque ſuperſtitionibus exemplo Hungarorum veterum popularium ſuorum Chriſti fidem amplecti in animum inducerent. Illi non multum reluctati, imperata ſe facturos ſunt polliciti. Itaque in fidem acceptis eam, ubi hodie Jazyges, plagam colendam aſſignavit, continuoque Sacerdotes eo deſtinavit, quorum opera myſteriis fidei probe imbuti, ſubinde Baptismi

Sacra-

Sacramento initiati ſunt. Ex his poſtea Reges Hungariæ ſagittariorum legebant cohortes bello utiliſſimos, inde eis etiam Jazygum ſive Jaſſonum adhæſit appellatio. A) S. LADISLAUS.

VI. Accepto cladis nuncio, Dux Cumanorum detentos in Hungaria ſocios repetebat, repulſamque paſſus, majoribus quam unquam antea copiis Hungariam invaſit: neque Ladislaus diu moratus, caſtra caſtris oppoſuit: at dolo Cumanorum prope aberat, ut in graviſſimum incurreret diſcrimen: cum enim hoſtes fugam ſimulantes celerius quam cautius inſequitur, ſive ob innatam ſolo ſterilitatem, ſive quod hoſtes omnia prius incendio corruperant, extrema Hungari laborare cæpere inopia. Nil hac calamitate turbatus Ladislaus, ſumma cum fiducia Divinam imploravit opem, ut orare deſiit, numeroſi bubalorum cervorumve greges ad ejus caſtra ſponte ſua deferuntur, longamque militum famem egregie exſatu- Quo prodigio ſolutum alterum?

 rant.

A) Confer hic ea, quæ in Hungaria Veteri retulimus tit. de Hungaris §. VII.

S. LADISLAUS.

rant. Refectis non ſine prodigio corporibus, itum in hoſtem: calente pugna, Ladislaus in Akuſium Cumanorum Ducem invectus, ſingulari certamine hominem obtruncat: caſu Ducis inclinata Cumanorum acies, fuſa fugataque palmam victori Ladislao detulit: averſis non ſegniter inſtitere Hungari, quantum vires ad perſequendum dexteræque ad cædendum valuere, tantum cædis fuit: multi, queis vita charior, abjectis armis veniam deprecati, nupernis neophitis adnumerati ſunt, ex ipſa clade per baptismum meliorem vitam felicitatemque conſecuti.

Quem in finem, & ubi Conventus celebrati?

VII. Duplici bello ex ſententia, non ſine magna rei Chriſtianæ acceſſione confecto, cum tuta foris viderentur omnia, curas omnes ad inſtaurandam rempublicam contulit. Jam inde a D. Stephani obitu continuis agitata turbis Hungaria, mirum quantum a prima probitate gentis mores deflexerant: furta, cædes, rapinæ, fænerationes exaggeratæ quaſi civitate donata fuere: exigua Divini cultus feſtorumve dierum obſervatio,

ut...

te interceptæ, in foro propalam proſtituerentur, ut quisque, quod ſuum eſſe comperiſſet, perſoluto pretio poſſet recipere. Boves aut equos in collimitio venum exponere interdictum. Stabilita adhæc Judicum ordinariorum auctoritas; at una limitibus circumſcripta: neque enim Supremis Comitibus alibi, quam ſua in provincia, neque cæteris in Comites ipſos, aut Clero adſcriptos jus exercere datum. Quodſi autem injuſte quid a Judice actum conſtitiſſet, judicati pretium duplo rependere, ac quinque inſuper penſis A) mulctari jubetur. Palatinus e Curia Regia abſcedens ſigillum Regium ei, qui ejus muneris vices obit interea, crederet, neque domi ſuæ agens cujusquam demtis Udvornicis cauſas cognoſcere auſit, ſecus LV. penſas pœnæ loco ſoluturus: eidem mulctæ objiciendi Duces militares, Comitesve, qui poteſtatis ſuæ limites transgreſſi fuerint. Illud denique conſtitu-

S. LADISLAUS.

A) Penſa puri argenti ſuperiore ſeculo æquivalebat CXX. denariis argenteis, facit vero penſa duas uncias. Ut notat Moſſoczius in corpore Juris.

SOCIOLOGIE

ſtitutum; ut qui decreta hæc infringere auſi eſſent, ſi Epiſcopi ſint; Regis plecterentur arbitrio: ſin Comites, dignitatem amitterent; centuriones autem & Nobiles LV. penſas dependerent.

tempe- e viris ıtus La- laus?

X. Ex hactenus explicatis clarum cuivis fieri poteſt, quam inſignis in gubernanda Hungaria eluxerit Divi Ladislai Religio & prudentia, quamve egregie cum ſanctimoniæ ſtudio cum politicam, tum militarem conjunxerit prudentiam. Certe tam raræ ſapientiæ virtutisque fama ad exteras gentes propagata, tantam D. Ladislao conciliavit exiſtimationem, ut Imperii Romani Ordines, exauthorato Henrico IV. Cæſare, eundem unanimi conſpiratione ſurrogare decreverint, rati, tanti viri prudentia & æquitate diuturnas, queis Imperium omne ſcindebatur, turbas ſublatum iri. At enim ſummum id honoris faſtigium modeſte deprecatus fuit Ladislaus, curas, quas uni ſacraverat Hungariæ, partiri nolens. Id autem pro ſuo in rem Chriſtianam ſtudio communibus Europæ Principum votis dare debuit,

S. LADISLAUS.

debuit, ut ſupremum in copias cruce ſignatas admitteret Imperium, quamvis neque iſtud præſtare potuit; cum enim adverſum Bohemos Bretislai Nepotis cauſa bellum adornat, in itinere fatali corripitur febre, ſuſceptoque inſigni cum pietate SS. Euchariſtæ Sacramento, in Optimatum corona e vitæ hujus tenebris ad ſempiternam lucem exceſſit An. Chr. MXCVI. Regni undeviceſimo. Sacrum corpus a jumentis nemine rectore Varadinum devectum, in ejus urbis Baſilica, quam una cum Epiſcopatu condiderat, tumulatum fuit. Mortem piiſſimi non minus quam fortiſſimi Regis omnium ordinum luctus conſecutus, quem triennio toto interdictis choreis, muſicisve concentibus, ac atro veſtium ſquallore ſunt teſtati. Sed enim luctus iſte brevi in maximam abiit lætitiam; quod DEUS patratis ad ejus tumulum prodigiis, non tam ereptum Hungariæ Ladislaum, quam novum in cælis Tutelarem datum ſignificaſſet, quibus ex more probatis urgente poſtea Bela III. Rege a Pon-

S. LADISLAUS.

tifice Romano Cæleſtino III. inter divos relatus fuit An. Chr. MCXCII. A)

Quæ conjux liberive D. Ladislai?

XI. Conſtans apud omnes inſedit opinio, D. Ladislaum cælibem egiſſe vitam, verum pluirum diplomatum, in quibus diſerte ſuæ meminit conſortis, teſtimonia conjugio illigatum fuiſſe fidem faciunt. B) Conjugis nomen genusve non ita certum eſt: ſunt qui eam Zvonimiri Croatiæ & Dalmatiæ Regis ſororem faciant, per quam ille Croatiæ & Dalmatiæ Jura adierit. C) Bonfinius Adelhaidem cognominatam ex Epitaphio quodam Veſprimienſis Eccleſiæ eruit.

Quod

A) Binis diebus ejus olim memoria celebrari conſuevit. XXVII. Junii S. Ladislai Regis & Conf. XXIX. Julii Depoſitio S. Ladislai R. C. ut veteres habent Ephemerides & Breviaria.

B) Litteræ S. Ladislai R. An. MLXXXII. Calendis Maji datæ Eccleſiæ Veſprim. ſic habent: *In prædio Merena, quod uxor noſtra conceſſit Eccleſiæ S. Michaëlis de noſtra voluntate &c.* In M. S. Analect. P. Stephani Kaprinai.

C) Jacob. a Mellen ſeries Reg. Hung. e nummis aureis pag. 6. not.

Quod ſi vere ab illo conſignatum eſt, A) pene inducor, ut credam, Adelhaidem hanc Bertholdi Alemaniæ Ducis filiam fuiſſe, ſuffragantibus Germanis ſcriptoribus. B) Atque ex hac Pyriskam ſive Priſcam ſuſtulit Ladislaus, Joanni Comneno Orientis Imperatori collocatam, quæ uſitato Aulæ Bizantinæ more, mutato cognomine Irene appellata fuit, c) atque An. Chr. MCXXVIII. non ſine ſanctimoniæ fama vitam finivit, plurium liberorum mater. Colomanus pariter non temere dici poteſt S. Ladislai filius; nam ut exteros prætereamus, D) domeſtici

A) Decad. II. Lib. IV. duarum hic meminit conjugum: Giſelæ & Adelhaidis.

B) P. Marci Hanſizii Germ. Sacra T. II.

c) Præter Cinnamum Græcum Synchronum, Hiſt. Lib. I. §. IV. M. Thuroczius hæc habet: „Interea Imperatrix Conſtantinop. filia Regis Ladislai, „nomine Pyrisk nunciavit Regi Stephano II. Chron. Parte II. cap. XLIII. Conſentit Anna Comnena cum de Legatis Colomani Regis ſcribit ſub finem Lib. XIII. οἱ ἐκ Δάκων ἥκοντες ἀποκρισιάριοι παρὰ τοῦ κράλη καὶ συμπενθέρου τῆς βασιλείας. Venientes Legati ex Dacia a Rege & Conſocero Imperatoris ſive Affine.

D) Nota antiquiſſima ad calcem Hiſtoriæ Archi-

S. LADISLAUS.

ſtici Scriptores affirmant, eum Agrienſi aut Varadienſi Eccleſiæ Epiſcopum datum, poſtea, cum fratribus cæteris exſtinctis, nemo ſupereſſet, ab ejus Eccleſiæ vinculo Pontificis authoritate ſolutum, Regem creatum fuiſſe, A) quæ narratio, ut cum veritate conſentiat, neceſſe erit pronunciare, Colomanum nec Geiſæ Regis filium, nec Almi fuiſſe germanum, ſecus enim non omnes e vivis exceſſiſſent fratres, ut hominem ſacris addictum ab infula ad ſolium evocari oportuerit. Quæ ſi ita habent, recte D. Ladislao conjugem tribuemus Adelhaidem, liberos vero Colomanum Regem, & Priſcam Imperatricem.

GE-

Diaconi Spalatenſis habet: „Colomanus filius Uladi„slai Regis Hungariæ ſtans in Regno loco Patris ſui.„

A) „Iſte Colomanus *inquit M. Thuroczius* ſicut „quidam dicunt Epiſcopus Varadienſis, *alibi Agrien„ſem dicit*, ſed quia fratres, quos habebat, morte „ſunt præventi, ideo ſummo Pontifice cum eo di„ſpenſante, regnare compellitur, qui ab Hungaris „Kônyves Kálmán appellatur, eo quod libros habe„bat, in quibus horas Canonicas ut Epiſcopus per„ſolvebat.„ Cap. LXII, Vide quæ in ſpecim. Herald. Hung. dicta ſunt pag. 65. not. d.

TABULA II.

GENEALOGIA REG. HUNG. I. PERIODI.

BELA I. Rex ✠ 1063.
Con. a. Anonyma Polona
b. Margareta Hiſpana

Geiſa I. R. ✠ 1077. Con. Anonyma — Lampertus Dux — S. Ladisl. I. R. ✠ 1096. Con. Adelhait — Anonyma Zvonimirus R. Dalm. Croat. — Jojada Vilhelmus March. Thuring — Ludmilla Otto Morav. — Amabilia Uladislaus R. Boh.

(children of Geiſa I.:)
Almus Dux ✠ 1127. Con. Anonyma — Sophia Magno Dux Saxo. — Colomanus R. ✠ 1115. Con. a. Druſilla Sicula b. Anonyma Ruſſa

(children of S. Ladisl. I.:)
Priſca dicta Irene Joannes Comne. Imp. Græc.

(children of Almus:)
BELA II. Gæcus R. ✠ 1141. Vide Tab. III. — Adelhait Hedvigis Sobieslaus Adalbertus Dux Boh. March. Auſt.

(children of Colomanus:)
a Stephanus II. R. ✠ 1131. Con. a Juditha Polona b Anonyma Sicula — a Sophia — b Borich Con. Anonyma Græca

(child of Borich:)
Colomanus.

COLOMANUS
REX IX.
A. C. MXCVI.

COLOMANUS.

Quibus rebus in ipſo Regni aditu inclaruit?

I.

COlomanus continuo a morte Ladislai ſceptro potitus, Almo Duci e Croatia, cujus Rex a S. Ladislao conſtitutus erat, revocato tertiam Hungariæ partem Ducis nomine poſſidendam tradidit: tum ſubjugata, cæſo Petro Rege, mediterranea Croatia, Venetos ad pacem petendam adegit. Inde domum reduci non parum negotii fuit cum cruce ſignatorum exercitu. Sacri hi milites ubi extremos Hungariæ fines attigere, in omnem effuſi licentiam cædibus, rapinis, aliisque facinoribus Hungarorum humanitatem remunerati ſunt. Rex injuriam ulturus aſtu militari circumventos, inſigni affecit clade, neve ſocii eam ſeveritatem vindicatum irent, reliquas cruce ſignatorum copias ab ingreſſu Hungariæ ſtrenue prohibuit. Godefridus Boullionius, qui ultimum ductabat agmen, comperto

perto ſuorum ſcelere, atque caſtigatione, veniam per nuncios petiit, placatoque Rege Colomano, datis acceptiſque obſidibus non modo expeditum in orientem iter, verum etiam liberalem obtinuit commeatum.

COLOMANUS.

II. Præludia hæc fuere virtutis bellicæ, qua per omnem deinceps vitam eminuit Colomanus, cum diuturna multipliciaque proſpero fere ſucceſſu confecit bella: cum Ruſſis, Cumanis, Croatis, Dalmatinis, Venetis, Auſtriacis, & quod omnium graviſſimum fuit, cum Duce Almo. Adverſum Ruſſos parum faventem expertus fuit fortunam: bellum idcirco in eos ſuſceptum, quod Cumanis Hungariam vaſtaturis, non una vice liberum indulſerint tranſitum, quin etiam perſæpe ipſis immixti ex agris ſibi conterminis prædas egerint. Ruſſorum fines ingreſſo, Lanca Regina vires Hungarorum pertimeſcens, ad alloquium admiſſa, genibus Regiis ſupplex effuſa clementiam imploravit: Colomanus indignum ratus, fœmineis lachrimis Regiam contaminari Majeſtatem, parum humaniter Reginam cal-

Quo ſucceſſu geſta bella? nominatim cum Ruſſis?

COLOMANUS. ce abegit, Cumanorum pariter legatos pacem petentes conſimili rejecit ferocia. Ea re offenſi Ruſſi, Cumanis conjuncti, nocte concubia Hungarorum copias magna vi omni ex parte adoriuntur: multa ubique fit cædes; quodque ob caſtrorum anguſtias explicari nequibat acies, cadebant multi viri fortiſſimi æque ac nobiliſſimi cum Jula Palatino: Rex Prætorianorum tectus clypeis corporibusque ægerrime diſcrimen evaſit.

Cum Croatis?

III. Felicius in Croatiam translatum bellum: hi & Dalmatinorum continuis incitati hortationibus, & abſentia Regis freti Hungarorum excuſſerant Imperium. Colomanus re cognita ſine mora eo numeroſas deduxit copias, at quia anceps belli exitus videbatur, benevolentia prius ſibi cum fortiſſima gente agendum putavit, idque brevi prudentia humanitateque conſecutus eſt, ut Croatæ rurſus ſemet ſacræ coronæ juribus adjungerent, perpetui deinceps Hungarorum ſocii futuri, ſi modo ſalva manerent communia æque ac privatorum

torum jura, nihilque unquam tributi nomine pendere cogerentur. Hujus loco ad faciendam militiam ſe obſtrinxere: ut quoties bellum ingrueret, Nobilium quisque denis ſtipatus militibus in caſtra veniret, cis Dravum ſuis; Regiis autem trans flumen ſtipendiis meriturus. Ita citra ſanguinis profuſionem revocatis ad obſequium Croatis, Dalmatiæ Regis titulo uti incepit Colomanus, quod ſocia provincia occupata, illius quoque jura ad ſe pertinere exiſtimarit, jam tum ejus quantocius potiundæ modum rationemque animo complexus; ſapienter enim pervidebat, nec diuturnam neque ſecuram fore Croatiæ poſſeſſionem, quam diu Dalmatini ſui, aut Venetorum eſſent juris: hi quippe illius imminebant dominationi, ex Græcorum ceſſione, qui quo Hungarorum progreſſionibus ponerent obicem, vetera ſua in Dalmatiam jura in Venetos tranſtulerant.

COLOMANUS.

IV. Conſilii exequendi ſuapte ſe obtulit Colomano occaſio: elapſo induciarum, quas in aditu Regni cum Venetis pepigerat,

Quo pacto Da'matia occupata?

COLOMANUS.

plicavit, novisque firmavit legibus. Hæc omnia ſubinde Albrici Presbyteri opera in unum collecta vim legis obtinuere. a) Præcipua eorum capita hic delibare placet: Poſſeſſiones D. Stephani munificentia Eccleſiis Monaſteriisve attributas tollere nefas eſto. Bona profanis hominibus ab eodem data ad utriusque ſexus hæredes tranſeant; quæ ab aliis Regibus obtinuiſſent, demortuis filiis ad fratres poſterosque maſculos devolvantur, his extinctis Rex ſuccedat: liberum tamen cuivis ſit, quæ emptione aquiſiviſſet, quibus vellet, tranſcribere. Quoniam tenuius erat Regis ærarium, quam ut aulæ dignitati ſufficeret, piſcinas molendinaque redundantia Monaſteriis ablata

a) In corpore Juris Patrii, & Conciliis Hungariæ Tomo I. facta videtur hæc collectio circa An. Chr. MCX. Exſtant aliæ inſuper leges ad diſciplinam Cleri ſpectantes LXV. Canonibus comprehenſæ, quæ in ſynodo nationali Strigonii Præſide Laurentio loci Antiſtite An. Chr. MXIV. rogatæ ſunt. Ibid. T. I.

ſata A) quem in finem præterea vectigalium & tributorum ratio inita, ſingulis in Comitatibus duæ tertiæ Regi, una Comiti deputata, ſalvis ſemper Antiſtitum decimis. Quo fraudibus fœnerationibusve Judæorum iretur obviam, cautum, ne quid per eos venum iret citra teſtium Chriſtianorum conſcientiam. Ismaelitis ne ad obſcœnos redirent ritus, vetitum connubiis ſua cum gente copulari, una vero impoſitum, ſuo ut ære Eccleſias, ubi agunt, erigant. Severiſſime proſcripta matrimonia clandeſtina, conſtitutumque, ut non niſi in Eccleſia coram teſtibus idoneis a Presbytero conjungantur. Clericis matrimonio illigatis, aut concubinariis interdicta Ec- COLOMANUS.

cleſiæ

A) Paulo ulterius, quam legibus caverat, progreſſus videri poteſt Colomanus, nam ut alia tranſeamus, Monaſterium in D. Stephani dexteræ memoriam a S. Ladislao Rege deceſſore ſuo fundatum, nulla vel S. Fundatoris, vel ſacri pignoris illic ſervati habita ratione, Monachis inde ejectis, donum dedit Pauli Palatini filiis, qui, ut pii loci memoriam penitus abolerent, ipſas fundationis litteras Vulcano cremandas tradiderunt.

COLOMANUS. cleſiæ miniſteria : quin ad majus decus auctoritatemque Sacerdotio conciliandam prohibitum, ne quis deinceps ad ſacros promoveretur ordines, niſi continentiam prius voviſſet, iisdem interdictus profanæ veſtis uſus : ex adverſo ſtabilita Clericis a laico Judice immunitas, niſi ante cauſam ipſi coram eodem contra laicum inſtituiſſent. Teſtes priusquam examinarentur ſacra Confeſſione ſemet expiare juſſi. Quia vero inteſtinorum bellorum tempore plurima inique ſurrepta etiamnum inter alienas verſabantur manus, ac idcirco multæ in dies lites emergebant, neque cunctis adire curiam per ſumtus liceret, illud ſapienter inſtitutum, ut quoties Rex pro more comitatus inviſeret, continuo bini judices ejus provinciæ cauſas adferrent, Regis, aut ſi plures juſto eſſent, Palatini etiam arbitrio dirimendas. Placuit inſuper Calendis Maji, & Octobris quavis in Diæceſi haberi Synodum, cui Epiſcopi præſiderent : Comites autem & cæteri Magiſtratus aſſiſterent, hujus judicio nobiles, Comites, Proceres, quin & Regis, Ducisve familia-

res

res ſtare oportuit. Epiſcopis præceptum, ut ſi quem anathemate percuſſiſſent, de hoc Regem primum, tum cæteros edoceant Antiſtites. Denique majorem in modum commendatur, ſingulis ut in Eccleſiis pro Regis, Regnique ſalute quotidie preces ad DEUM funderentur. Cætera a Colomano Rege conſtituta ad deceſſorum Regum leges facile revocari poſſunt. Atque ex his ut opinor, conjectura capi poterit de inſigni Colomani Regis in dictandis legibus prudentia.

COLOMANUS.

VI. Pulcherrimas Colomani laudes non parum perpetua illa cum Almo Duce diſſidia obſcurarunt. Ægre admodum tulerat Almus, Croatiæ Regis ſe titulo poſſeſſioneque ſpoliatum; hominem parum forti animo, & ſortis ſuæ infra viri conditionem impatientem, opportunum conſiliis ſuis rati aſſentatores, incredibilibus de Regis animo complevere timoribus, quaſi non honoribus eum modo, verum & vita ipſa exutum iret: nec deerant, qui fidem Ducis Regi ſuſpectam redderent,

Quæ litium cum Almo Duce origines?

A) ut

COLOMANUS. ut adeo alter alteri diffiderent, ac ipſa etiam amoris officia in ſequiorem acciperent partem. His artibus brevi effectum, ut eodem quaſi tempore conſcripto ad vim ſive inferendam, ſive propulſandam exercitu, in armis uterque ſtarent: ne ſignis tum concurreretur, Antiſtites Proceresque obſtitere, quorum opera poſitis ſuſpicionum umbris, ambo in gratiam rediere, non tamen diu duraturam. A)

Quam multiplex Almi Ducis inconſtantia? VII. Sopitis potius quam extinctis diſſenſionibus, Colomanus ut pronum erat, alienum aliquantum præſetulit animum; ſatis id cauſæ fuit Almo, ut extrema quæque ſibi impendere ſuſpicatus, in Germaniam profugeret; at mox facti pœnitens domum

A) „ Dicebant, *apud M. Thurotzium*, Duci: „ Domine Dux, Rex inſidiatur tibi, & capere te „ vult: deinde Regi dicebant: Dux tibi poſuit inſidias, & ſi non cuſtodieris te, ſcias procul dubio te moriturum, hæc audientes ambo Juvenes & laſcivi congregaverunt exercitus.„ Chron cap. LX.

COLOMANUS.

domum rediit, facileque a læſo licet Rege veniam impetravit. Paulo poſt novis actus intemperiis, ad Boleslaum III. Poloniæ Regem elapſus, ſuppetias obtinuit, quibus munitus cum in ſubjectis ditioni ſuæ comitatibus delectus inſtituit, Colomanus Abaivarini tum forte agentem obſidet, die altero totis viribus arcem aggreſſurus: eo rerum ſuarum poſitu perculſus Almus, nemine arbitro, in caſtra delatus, Regis ſupplex advolvitur pedibus: Colomanus nil gravius in eum ſtatuit, & ſatis habuit hominem acrioribus objurgatum verbis, officii commonefacere, quo tamen auxilia illi in poſterum ſubtraheret, fœdera cum Boleslao renovavit, ejus filia Juditha Stephano filio ſuo deſponſa. Vix evoluto anno Almus cum inſidias ſibi comparari nec abs re timet, quoniam nil jam apud Polonos ſpei erat, Henrici V. Cæſaris opem implorat. Præſto fuit Imperator; at cum Colomanum & Hungaricis & Polonicis legionibus egregie inſtructum haberet obvium, omiſſo bello, pacem tentare maluit, habitoque ſeorſim colloquio, ægre admodum

obti-

COLOMANUS.

obtinuit, ut Colomanus toties jam delinquentem in gratiam reciperet. Ex eo tempore aliquot annis quievit Almus, niſi quod obtenta Hieroſolimas eundi poteſtate, clam ad Græcorum Imperatorem Fl. Alexium Comnenum deceſſit, ſeque, ſuosque liberos illi adverſus Colomani vim tuendos commendavit, ut ut occulte id actum ſit, non tamen fugiebat Colomanum, quod forte cauſa fuit, immaniſſimi illius facinoris, ac ad eum diem apud Hungaros inauditi, quo ſe Colomanus poſt paulo obſtrinxerat.

Quam atrociter caſtigata?

VIII. Quem ex priore conjuge Druſilla Rogerii Siciliæ Comitis filia genuerat, Stephanum, non invitis Optimatibus puerum adhuc Regem coronari fecerat: cui ne Almus Regni ambitu ultra modum laborans, aut filius Bela moleſtiæ quidpiam Græcorum opera poſſent creare, atroci ſane conſilio, utrumque luminibus orbari, Belamque inſuper, quo proli aliquando procreandæ inutilis fieret, evirari curarat. Is cui deteſtanda ea provincia data fuerat, ſive Prin-

cipis

cipis pueri innocenti ætate commotus, ſive Regiæ ſtirpis, ſi Stephanus, ut reipſa evenit, ſine prole decederet, orbitati proſpecturus, exciſos catuli teſtes Regi obtulit, quo ſe eo munere functum probaret. Neque hic furor Colomani conquievit: amplius adhuc filio Regnum firmaturus, ſicarium dimiſit, qui Ducem, una & filium interficeret: Verum a cæde inferenda per Dômôſienſis cœnobii a) Monachos ille prohibitus fuit: Almus vero nullum jam ſibi tutum fore in Hungaria locum ſentiens, ad Græcos diſceſſit; Belam filium Othmarus Comes, & Paulus Abbas Dômôſienſis occulte educandum abdidere. COLOMANUS.

IX. His actis Colomanus acutiſſimo capitis cruciatu laborare cæpit, medicique imperitia ad extrema deductus, cum de imminente ſibi morte commonefactus fuiſ- Quid de Colomani obitu?

O ſet

a) Dômôſienſe Monaſterium Almus Dux multo ante condiderat, atque huc ille orbatus oculis ſe receperat, in calamitate ſua præſidium ſolatiumque inter cœnobitas habiturus.

COLOMANUS. ſet graviter ingemuit, brevique poſt vivere deſiit III. nonas Februarii An. Chr. MCXV. Albæ Regiæ conditus. Fertur deformi admodum fuiſſe corporis habitu: gibbo nimium prominente, luſcus lumine, cute hiſpidus & piloſus, claudus pede, lingua blæſus, quæ quidem corporis vitia, ſi crimen in Almum, & Belam admiſſum demas, egregiis animi dotibus correxit. Mens illi excelſa maximarum rerum aggrediendarum capaciſſima, ſcientia militari & fortitudine nulli ſecundus, fœdera inſigni cum ſacræ coronæ ſuæ utilitate opportune inire noverat. Etſi Almus ſæpe res novas moliretur, ſuos ſemper in fide conſtantes, ſibique addictiſſimos habuit; ſi Dalmatinos demas; qui paulo ante obitum a Colomano alienari cæpere, quod ille confirmata jam Illyrici poſſeſſione, adverſus datam fidem, Hungarorum militum præſidia Urbibus impoſuerit: quamobrem indignati Dalmatini oblata opportunitate paulo poſt in Venetorum ſocietatem rediere.

COLOMANUS.

Quo genere ortus Borichius?

X. Locus ipſe poſtulat, ut de Borichio quidpiam hic brevibus dicamus. Druſilla Regina vita functa, A) incerti cognominis Ruſſorum Ducis filiam matrimonio ſecum junxerat Colomanus: non multo poſt impudica mulier fidei, dignitatisque ſuæ oblita, Regium thorum adulterio contaminavit, comperto ſcelere, Rex uterum geſtantem ſine mora ad ſuos remiſit, quæ ſubinde infauſto partu Borichium filium in lucem dedit. Atque hic Borichius, tametſi Colomanus ex ſe genitum negaviſſet, ubi adolevit Regii Hungarici Principis titulo uſus, demortuo absque hærede Stephano II. Regnum ad ſe pertinere contendens, graves Belæ II. & Geiſæ II. Regibus conſcivit moleſtias, quin etiam in Parentis, ut credebat, memoriam, filio, quem ex Auguſta Græca conjuge ſuſtulerat, Colomani nomen impoſuit.

A) Druſilla duorum liberorum mater fuit Stephani II. Regis, & Sophiæ, quæ incertum cui tradita, Saulem enim fuit.

STEPHANUS II.

REX X.

A. C. MCXV.

STEPHANUS II.

I.

Quid damni in ipſo Regni aditu acceptum in Dalmatia?

STephanus quintum ſupra decimum agens annum, cum Regno per ætatem impar videretur, Imperii habenas continuo capeſſivere Optimates. Initia haud ſatis proſpera fuere, ob totius propemodum Dalmatiæ jacturam, Quæſtoris Hungari maleficio accerſitam. Hic vivente adhuc Colomano orientalem Spalatenſis urbis turrim Hungarico tenebat præſidio, atque inde conſilium cæpit civitatis ipſius ſubjugandæ, idque eo ipſo tempore, quo cives pietatis cauſa ad ſpectandam Eccleſiæ extra urbem ſitæ conſecrationem magno numero exituri ferebantur: per eam abſentiam exiſtimabat Quæſtor, Hungarum militem occupatis portis urbe nullo negotio potiturum: at enim fraus cecidit peſſime: Spalatenſes enim rem ſubodorati, clam ab aliis urbibus ſuppetias impetrant, ac in urbem

in-

inſciis Hungaris immittunt. Sic rebus utrinque comparatis, die ſtatuto Hungari ad facinus patrandum e turri effuſi in ipſo urbis aditu a civibus ſociisque ex inſidiis fortiter accepti, multa cum cæde in fugam conjecti ſunt. Ut Venetias fama attulit Spalatenſes defeciſſe, continuo cum claſſe in Dalmatiam appellunt Veneti, quodque Hungarorum nomen paſſim inviſum eſſet, ejectis non ſine ſanguine Hungaricis præſidiis, totam brevi tempore Dalmatiam recuperant. Ita Hungari ſcelere unius, cum adverſum ſolennia pacta dominatum ſuum augere ſatagunt nobiliſſimo Regno deturbati ſunt, brevi rurſum non tamen in integrum reſtituendi.

STEPHANUS II.

II. Septennio prope ſub Curatoribus exacto, Stephanus Regni adminiſtrationem auſpicaturus, illic, ubi pater deſierat, incepit: ut enim ſe paterni in Almum odii hæredem declararet, continuo exulem, ciendisque propter cœcitatem turbis prorſus ineptum, reddi ſibi a Joanne Comneno orientis Cæſare per legatos petiit, quod cum Cæſar pro ſua in miſerum caritate negaviſſet, vehe-

Bellum Græcanicum qua pace terminatum?

STEPHANUS II.

menti correptus ira Stephanus bellum Græcis indicit. Geſtum eſt biennio acceptis & illatis utrinque levioribus damnis; exigua Hungarici nominis gloria; niſi quod in exitu Græci detrectata pugna, reditu fugæ ſimili ſe domum receperint. Pax deinde coaluit his fere conditionibus; ceſſaretur utraque ex parte a bello damnisve inferendis, communes haberent hoſtes & amicos, Græci inſuper claſſe præſto eſſent Hungaris, quoties iis adverſum Venetos opus foret.

Quanto Hungaris ad recuperandam Dalmatiam commodo?

III. Nihil ea pace utilius cogitari poterat, Stephanus ſine mora traducto in Dalmatiam exercitu amiſſa recuperare inſtituit. Dalmatini conſpecta Græcorum claſſe, mari terraque ſe peti cernentes, nihil autem affulgere ſpei a Venetis, quod in Syria tum aberant, maluere ultro pacem amplecti, quam incertam belli aleam vel etiam poſtea victoris iram experiri. Miſſis itaque Legatis ita res cum Rege compoſitæ, ut iisdem, quibus olim Colomano Imperante, in Hungarorum jura concederent conditionibus.

Signa-

Signatis & pro more promulgatis deditionis tabulis, Spalatum, Tragurium, Bellogradum, cæteræque urbes ad Stephanum poſtliminio rediere. Jadra, quod & munimentis & præſidiariis adverſum vim omnem communita eſſet, ſui juris perſtitit. Confecto tam proſpere bello lætus Stephanus Bellogradum deceſſit, ibique pro more gentis inauguratus Dalmatiam titulis reſtituit Regiis. An. Chr. MCXXIV. a) STEPHANUS II.

IV. Inter commoda a Rege Stephano Hungariæ procurata, merito cenſeri poſſunt novæ Cumanorum Coloniæ, quibus non modo ea, quæ Siculorum eſt Tranſilvaniæ pars, Qua tempeſtate deductæ ex Cumanis in Hungariam Coloniæ?

a) Patet ex diplomate Tragurinis dato. „ Ego „ Stephanus Colomani Regis filius, Rex Hungariæ, „ Croatiæ, atque Dalmatiæ, Anno Dominicæ Incar„ nationis MCXXIV. Indictione II. Menſe Julio „ Anno nono Regni mei eandem libertatem & pa„ cem, a Patre meo vobis Traguriinis & Spalatinis „ civibus ſtabilitam, cum Epiſcopis & Comitatibus „ & omnibus Regni mei Principibus ſub ejusdem „ Sacramenti obligatione confirmo & corroboro. „ Apud Lucium Lib. III. cap. IV.

STEPHANUS II.

pars, verum etiam Tibiſci Regio mirum quantum frequentata fuit: pars poſt multiplices a Græcis acceptas clades, ſive majorum calamitatum metu, ſeu ſociorum invitatione, in Tranſilvaniæ limitibus conſedit, eosdemque adverſum quosvis hoſtes defendendos ultro ſuſcepit, pulcherrimis idcirco a Stephano Rege exculta immunitatibus. Alii ſeditione domi ſuæ coorta, poſtquam Regulum ſuum interfeciſſent, ductore Tataro in Hungariam ſe recepere, quibus latiſſime ultra Tibiſcum amnem porrecta Regio, quam nunc Cumaniam majorem nominamus, eſt a Rege tradita. A)

Quid damni inde enatum?

V. Cumani hi poſteriores minus, quam hoſpites deceret, modeſte ſemet paulo poſt geſſere: gravemque Regi conflavere invidiam. Principio enim Stephanus, quo novam hanc gentem Chriſtianæ Religioni conciliaret, nihil humanitatis, benevolentiæque omiſit, familiari hac cum eis conſue-

tudi-

A) Vide Hung. Vet. pag. 37.

tudine cœpit ſenſim Cumanarum mulierum amoribus capi, eoque demum proceſſit, ut defuncta Juditha Polona conjuge, vagis inter Cumanas libidinibus Regium ſanguinem maculare non dubitarit. Proceres, quibus & dignitas Regis ſui, & ſtirpis orbitas cordi fuit, precibus minisque adegere Stephanum, ut Roberti Guiſcardi Apuliæ, & Siciliæ Comitis filiam uxorem duceret, legitimum ex eo connubio hæredem allaturam: at neque novis adoleſcentulæ conjugis amoribus ab inveterata cupiditate avelli abducique potuit. Ea Regis turpitudine animati Cumani, Regione ſua minime contenti, in facultates, vitamque Hungarorum impune graſſati ſunt: Rege ne ſuas amitteret delicias, injurias vindicare non auſo.

STEPHANUS II.

VI. Tanta vitæ licentia gravem Regi conſciverat morbum, ut multis ex eo obiturus videretur: ad cæteras ægritudinis moleſtias illa maxime miſerum cruciabat cura, quod e neutra conjuge Patris nomen obtinuiſſet, Regnumque legitimo carens Prin-

Quæ pietas Regis in Belam Almi filium?

STEPHANUS II.

cipe partium ſtudiis, aut exterorum furori objiciendum relinquere cogeretur. Ut primum melius aliquantum habere cæpit, de Saule ſororis Sophiæ filio ad ſolium evehendo cogitationem ſuſcepit, ſuamque Proceribus mentem explicuit: ea Regis ſollicitudine animadverſa Comes Ottmarus, & Paulus Abbas Dômôſſenſis, ſubinde ad Jaurinenſes translatus Infulas, Stephano aperiunt, vivere etiamnum ſalvum Belam Almi filium, curis ſuis clam eductum, ad quem unum jus Regni pertineret. Mirifice hoc nuncio delectatus Stephanus, ad ſe extemplo Regium Principem adduci imperat, ſummaque amoris & lætitiæ ſignificatione acceptum, non modo ſucceſſorem deſignat, verum etiam indictis eum in finem comitiis, Regio diademate inaugurari jubet. A) Tum hære-

A) Poſitis ex animo odiis in Patrem quoque Almum ſumma uſus fuit humanitate, accepto enim mortis nuncio, per Fulbertum Colocenſium Antiſtitem corpus exanime e Græcia in Hungariam deportari, ſolennique funeratione Albæ Regiæ tumulari curavit. Reliquerat Almus præter Belam filium binas ſuper-

hæredis videndi percupidus, Helenam Uroſii Serviæ Ducis filiam virili plane prudentia, & fortitudine præditam conjugem dedit, aſſignatis novi Regis Aulæ Tolnenſis provinciæ ſtipendiis: nec ſpe ſua fruſtratus fuit, altero quippe a nuptiis anno Geiſam enixa Helena, Stephanum Regem, gentemque univerſam incredibili lætitia cumulavit. STEPHANUS II.

VII. Ab inauguratione Belæ, Geiſæque nativitate, quaſi cura omni ſolutus Stephanus, totus in Cumanarum amores effuſus fuit, adeo ut vel ſuis jam ea propter deſpicatui eſſet. Denique ex alvi profluvio in lethalem incidit morbum; cum nulla recuperandæ ſpes eſſet valetudinis, intemperantiam prioris vitæ in exitu correcturus acta pœnitentia, Monachum induit, quo habitu eum mors oppreſſit IV. Calendas Maji An. MCXXXI. ejus corpus Varadini qui- Quo fine vitam terminavit?

ſuperſtites filias: Hedvigem Adalberto Leopoldi Pii Auſtriæ Marchionis filio: Adelhaidem Sobieslao Bohemiæ Duci copulatas Bela jam rerum potiente.

STEPHANUS II.

quieſcit. Rexit Hungariam annis XVII. felicior futurus, ſi effrænatæ libidini, iræque præcipiti modum ponere ſtuduiſſet.

BELA II.
CÆCUS
REX XI.
A. C. MCXXXI.

BELA II.

I.

Qua ſeveritate Regnum orſus?

QUem cum ipſa adeo poſteritatis ſpe exſtinctum ibat Colomanus, admirandis ſane Divinæ circa res humanas providentiæ conſiliis factum, ut non modo Regno ipſe potiretur, verum etiam Domeſticam Regum familiam quam feliciſſime propagaret. Jacturam luminis A) pietate, prudentia, & æquitate egregie ſarſit. Maximo nihilominus illi adjumento fuit Conjux Helena, ſumma fide, vigilantia & pruden-

A) In ſigillis Belæ II. Regis animadverſum, vultum Regis faſcia obligatos referre oculos.

dentia res mariti procurans. Step[illegible] vivis ſublato continuo Aradinum indixit Comitia, quæſtionemque haberi voluit in eos, qui Colomanum inter ac patrem ſuum Almum olim diſſidia ſeviſſent, tantæque atrocitatis authóres exſtitiſſent. Optimatibus ad eam propoſitionem attonitis, Helena Regina introductis ad conventum quatuor liberis, appoſita oratione, ita præſentes omnes in nefarios aſſentatores concitavit, ut continuo, qui tum forte Comitiis aderant rei, ad mortem raptarentur, quorum potior pars a veſaniente multitudine conciſi, meritas perfidiæ pœnas dedere. In eos qui levius deliquerant, mitius actum; alii in vincula conjecti; longe relegati alii: Parricidarum conjuges liberi, neceſſarii, cognationes omnes in exilium actæ.

Quid inde cum Borichio turbarum?

II. Tam inſigne juſtitiæ atque ſeveritatis exemplum etſi valuit ad nonnullos in officio continendos, plurimos tamen præcipue cæſorum amicos ad vindictam inflammavit. Jugum excutere certi homines perfidi, quo ultionis ſtudium ſpecioſo quo-

BELA II.

[illegible] velarent titulo, communicatis inter ſe conſiliis, Borichio, quem ex adulterio genitum diximus, præ Bela Regnum deberi pronunciant, Juvenemque immodica laborantem ambitione ad capeſſendum Hungariæ ſceptrum invitant. Nil hoc ei nuncio gratius evenire poterat, qui, quod ſe legitimum Colomani filium ferret, a Stephani morte jus omne ad ſe attinere exiſtimabat, jamque ea propter complures Principum pervagatus Aulas, apud plerosque fidem invenit, adeo ut ex Auguſta Græcorum Cæſarum ſtirpe conjugem impetrarit; tam propenſæ itaque Hungarorum in ſe voluntati reſponſurus, non contemnenda militum Polonorum manu ſtipatus Hungariam intravit: Boleslao Poloniæ Rege cum robore exercitus conſequente.

Quibus oppreſſæ artibus?

III. Gravior erat tempeſtas cum ob æmuli potentiam, tum vero maxime ob dubios Hungarorum animos, quam ut ſuis eam viribus Bela poſſet diſſipare. Quapropter Adalbertum Auſtriacum Affinem cum copiis ocius præſto apud ſe eſſe jubet: Sobies-

bieslao vero negotium dat, flagrante in Hungaria bello, ſuis cum copiis in Poloniam irrumpendi. Ipſe denique conflato ex Hungaris & Auſtriacis exercitu ad Scepuſium, qua Borichius advenire nunciabatur, magnis itineribus contendebat. Priusquam proxima in Borichium caſtra promoveret, præcipuos ſuorum in conſilium vocatos, propalam edicere jubet, quid eis de Borichio videretur: legitimumne Colomani Regis filium putarent; an ſecus? ſcire id omnium maxime intereſſe: inde enim & gerendi belli, & pacis ex æquitate componendæ omnem pendere rationem. Pars potior incerto genitum patre aſſerere; pars, ſive quod reipſa ita ſentirent, ſive quod vicino factionis ſuæ Duce Regem formidine complere vellent, a Colomano procreatum audacter affirmare. Bela compertis hac arte ſuorum ſtudiis, priusquam conjurati ad hoſtem tranſire poſſent, re cum Procerum fidiſſimis communicata probataque, imiſſis repente ſatellitibus omnes Borichio faventes obtruncari juſſit. Erant nonnulli tanto in Regem ſuum ſtudio; ut fide ipſis naturæ vin-

BELA II.

BELA II.

vinculis præhabita in fratres, neceſſariosve ſuos de proditione ſuſpectos deſævierint. a) His e ſententia geſtis, ſui ſecurus Bela promotis caſtris, ſuos in hoſtem duci imperat, poſt prælium atrox, & cruentum Borichius cum ſuis fuſus fugatusque eſt. Boleslaus pudore & vindicta æſtuans, certamen rurſum inſtauraturus erat; ſed cognito Sobieslaum cum Bohemis Poloniam depopulari, ad aras focosque tuendos re infecta diſceſſit. Neque Borichius deinceps Belæ moleſtus fuit; ſeu quod neminem ex Hungaris ſibi faventem haberet, ſeu quod auxiliis omni ex parte deſtitueretur.

Qua laude rempublicam adminiſtravit Bela?

IV. Si bellum hoc demas, tranquilla Belæ fuere omnia domi, forisque. Multum ad id contulere multiplicia cum vicinis foedera, nexusque ſanguinis, ut cum Adalberto Auſtriaco, Sobieslao Bohemo, quin etiam profligato Borichio cum Boleslao Polono, quem opportune ab æmulo diſtra-

ctum

a) Uberius hæc vide in Annal. Reg. Hung. ad An. Chr. MCXXXII.

BELA II.

ſtum ſibi adjunxerat. Præterea filiolam Sophiam Henrico Conradi III. Imperatoris filio deſpondit. Cum Venetis cæterisque vicinis pacem ſanſte coluit. Tantum abeſt, ut ditionum, quas acceperat, quidquam deperderet, ut etiam Ramæ Regno ſacræ Coronæ jura auxerit: A) exortis quippe Beluſem inter Deſſam & Primislaum Fratres Serviæ Principes diſſidiis, Beluſes aliter Bela dictus, ſua cum ditione in Hungarorum fidem conceſſit, utilemque poſtea Geiſæ navavit operam. Denique Rex Bela poſtquam XI. annos ſumma cum juſtitiæ laude regnaſſet, ex hydrope ad lucem æternam abiit idibus Februarii An. MCXLI, conſueto Regum ſepulchro illatus. Ternos reliquit filios ſuperſtites: Geiſam, Ladislaum, Stephanum, omnes Regiam deinde dignitatem conſecutos: filias autem duas: Sophiam, Henrico ſponſo demortuo inter Admontenſes Moniales ſanctimoniæ laude claram: Gertrudem Micislao Poloniæ Duci a Geiſa fratre traditam.

P GE-

A) In diplomate fundationis An. MCXXXV. Præpoſituræ S. Stephani de Bozok ita orditur: Bela Dei gratia Hung. Dalm. Croat. Ramæque Rex. in Epiſcop. Agrien. Tom. I. pag. 60.

TABULA III.

GENEALOGIA REG. HUNG. I. PERIODI.

BELA II. Cæcus Rex ✠ 1141.
Conjux Helena Uroſii Serviæ filia

Geiſa II. R. ✠ 1161 Con. Euphroſina Ruſſa	Ladislaus II. R. ✠ 1163. Con. Anonyma	Stephanus IV. R. 1165. Con. Maria Græca. - - - - - - -	Sophia Henric. Svevus. - - - - - - -	Gertrudis Miecislaus Pol. - - - - - - -

Maria
Nicolaus Comes Arbenſis
- - - - - - - - - - -

Stephanus III. R. ✠ 1173. Con. Agnes Auſtriaca - - - - - - -	Bela III. R. ✠ 1196. Con. Margaritha Antiochena.	Helena Leopoldus Auſtriacus - - - -	Hulicha Suetoplugus Bohem. Dux - - - -	Eliſabetha Fridericus Boh. Dux - - - -	Anonyma Conradus Morav. - - - -

Emericus R. ✠ 1204. Con. Conſtantia Arragonia	Andreas II. Hieroſ. R. *Vide Tab. IV.*	Maria Iſacius Græc. - - - -	Conſtantia Ottocarus R. Boh. - - - -	Helena Alphonſus II. R. Arragon. - - - -

Ladislaus III. R. Infans ✠ 1205.

GEISA II.
REX XII.
A. C. MCXLI.

GEISA II.

I.

Quid Geiſa continuo periculi a Borichio?

Biduo a morte Patris exacto, Geiſa pueritia exeunte, ritu ſolito XIV. Calendas Martii unctus, continuo diſcrimini objectus fuit. Borichius quod vivente Bela incaſſum tentarat, puero Rege daturus effectum, conciliatis Uladislao Bohemo, Henrico Duce Auſtriæ, atque Romano etiam Imperatore Conrado, adeo expeditum ſibi ad ſolium iter credebat; ut ne expectatis quidem reliquorum ſuppetiis, cum Auſtriacis ſolis bello initium faceret. Occupato per Juliani loci Comitis incuriam Poſonio, ſpes in immenſum auctæ ſunt, quaſi audito Borichii nomine omnis continuo Hungaria a puero Rege diſceſſura eſſet. At præter opinionem deluſum ſe ſenſit. Proceres enim, qui pupilli gerebant interea curam, ſine mora copias urbi admovent: continuata ſumma cum diligentia per plu-

GEISA II. res dies obſidione, cum præſidiarii nihil ex Auſtria venire ſubſidii cernerent, acceptis mille argenti libris, arce reſtituta, incolumes abiere.

Quanta gloria geſtum cum Auſtriacis bellum?

II. Nec mora ex ſenatus conſulto ad vindicandam injuriam bellum in Auſtriacos decretum, apparatumque fuit: brevi tempore ſeptuaginta Hungarorum millia in caſtra prope Leytham flumen confluxere. Geiſa Rex priusquam in copias imperium exerceret, in vicina caſtris æde ſacra, Epiſcopis bene precantibus gladio accinctus, militiæ initiatus fuit. Eo auctus honore, continuo indicta profectione, ſuos in Auſtriam ſervata egregie diſciplina militari traducit. Henricus moræ omnis impatiens, temeritate potius, quam conſilio, priusquam ab itinere feſſi quietem capere poſſent, Hungaros aggrediendos cenſuit. Explicata itaque acie, prior in Geiſam incurrit, ratus primo impetu hoſtes in fugam agendos; at cum Hungari, atque imprimis legiones Prætorianæ non modo vim ſuſtinerent fortiter, verum etiam audacter inferrent, poſt certamen acre

Duci-

Ducibus præcipuis amiſſis, ac inſuper VII. millibus ſuorum deſideratis, in fugam ſe conjecit, non ſine continua cæde, quod fugientium tergis Viennam usque imminerent Hungari. Tam præclara victoria paulo firmius popularium animos Geiſæ adſtrinxit: Borichii autem ſpes inanes effecit: ea enim clade non Auſtriaci modo, verum & Bohemi perculſi ab ejus fœderibus diſceſſerunt. Quapropter Borichius deſperatis apud germanos auxiliis, ad Græcos ſe tranſtulit, ibique reliquam exegit vitam.

GEISA II.

III. Domito æmulo, moleſtiſſimo cum Manuele Comneno Orientis Imperatore bello implicitus fuit Geiſa. Bachinus Serviæ Græcorum pertæſus arrogantiam, Hungarorum ſe clientelæ addixit, quoque ſe difficili jugo eximeret, delectas e Tranſilvanis & Saxonibus copias obtinuit; at infelici facto prælio unico fractus, denuo ſuam Græcis obſtrinxit fidem. Manuel ut erat ad ignoſcendum facilis, homine priſtinæ ſuæ dignitati reſtituto, Hungarum Regem, quod rebelli fuiſſet auxilio, bello voluit caſtiga-

Quo ſucceſſu cum Græcis?

GEISA II. ſtigatum: tenuit quinquennium varia fortuna; nullo pretio operæ; niſi quod limites utrinque ferro, & igne vaſtati eſſent. Ad extremum redditis captivis, pax coaluit citra ullam ditionum Hungaricarum diminutionem.

Quid diſcordiarum Regem inter ac fratres?

IV. Quemadmodum nihil ea pace Geiſæ accidere potuit optatius; ita nil plane moleſtius ejus fratribus Ladislao & Stephano, qui fervente adhuc bello ad Græcos ſe contulerant, copiasque Cæſareas in Hungaros ductabant. Turpiſſimæ defectioni ambitio dedit originem: pro more in Aula Hungarica uſitato, tertiam Hungariæ partem fratribus ceſſerat Geiſa, præcipuoque apud ſe loco eos habuit, ut ſolo nomine Regia eſſent dignitate inferiores. Interea qui ex Regiæ ſtirpis diſſidiis ſuas res augere noverant, adulatores viſa Stephani præprimis vivida indole immoderataque ambitione, commemoratis animi corporisque dotibus, adoleſcentem Regni cupiditate complent, quo ille elatus clam clientes comparare, Procerum pertentare animos,

atque

GEISA II.

atque a Geiſa abſtrahere, Regiam denique dignitatem non obſcure ambire. A) Geiſa rem tempeſtive a familiaribus edoctus, quo arrogantis adoleſcentis faſtum caſtigaret, ac alteri etiam ſimile quid audendi copiam ſubduceret, utrumque Ducatu exutum in ordinem redegit, experturos Regem, qui fratris amori tam maligne reſpondiſſent. Ea pœna efferati magis ad Manuelem tum forte bello Hungarico occupatum ſe conferunt, opem auxiliumque flagitantes. B) At cum pace compoſita nihil ſpei appareret, ad Fridericum Occidentis Imperii Romano Germanici Imperatorem abiere, multisque eum in Geiſam concitare conniſi

A) Colligere hæc licet ex iis, quæ Geiſa per Legatos ſuos Friderico Cæſari reſponderi curarat. In Annal. Reg. ad An. Chr. MCLVIII.

B) Perhonorifice utrumque habuit Manuel, Ducalique in Aula ſua dignitate ornavit. Præterea Mariam ex Iſacio fratre neptem Stephano dedit conjugem, Ladislao pariter legendæ Auguſta e ſtirpe uxoris optionem: quod ille modeſte tum deprecatus fuit, ne Hungarorum a ſe animos alienaret.

GEISA II. niſi ſunt, neque hic profecere quidquam: Fridericus quippe auditis Geiſæ legatis, atque mille talentorum muneribus delinitus, Duces ſpe optima eſſe juſſos ad Manuelem redire permiſit, majores olim turbas daturos.

Quid a Geiſa cautum teſtamento?

V. Has inter bellorum turbarumque viciſſitudines XX. exactis in Regno annis, præmatura mors abſtulit Geiſam prid. Cal. Junii An. MCLXI. Ne quid turbarum ab obitu enaſci poſſet, Stephanum filiorum alterum Regni hæredem ſcripſit; Belæ vero Sclavoniam & Dalmatiam Ducis titulo poſſidendam teſtamento reliquit. A) Extinctum ſinceris luxere lachrimis Hungari: Regem enim egregiis ad gubernandum dotibus inſtructum amiſere. Nitrienſem Eccleſiam ſuis e ruinis priſtinæ reſtituit dignitati

A) Quaternas inſuper filias ex Euphroſina Ruſſa Conjuge habuit, Helenam Leopoldi Auſtriæ Ducis, Hulicham Svetoplugi, Eliſabetham Friderici Bohemi, Anonymam denique Conradi Moraviæ Marchionis conjuges.

GEISA II.

ti, Eduardo Epiſcopo conſtituto. Id ei a quibusdam vitio datum, quod Friderici Imperatoris hortatu, Victori Antipapæ Joannis, & Guidonis Cardinalium ſtudiis in Papienſi Conciliabulo electo, adverſum legitimum Pontificem Alexandrum III. adhæſerit; at iſtud ſi reapſe accidit, haud diu Victori faverit: quando compertum eſt, eum Alexandro III. per Legatos reverentiam Chriſti Vicario debitam exhibuiſſe, A) hujusque in legitimum Eccleſiæ caput obſervantiæ hæredes reliquiſſe filios.

A) „ Devotionem, *inquit*] *Bela III* venerandæ „ memoriæ Geiſæ Patris noſtri, quam circa Sacro„ Sanctam Romanam Eccleſiam, & Sanctum Pa„ trem noſtrum Dominum Alexandrum Pontificem „ ſtuduit per omnia exhibere, modis omnibus, „ quibus poſſumus, imitari volentes &c. „ Vide Literas ipſas in Hiſtoria Diplo. de Jure Patronatus Reg. Hung. Lib. II.

STEPHANUS III.

REX XIII.

A. C. MCLXI.

STEPHANUS III.

Quibus artibus Regnum ſibi adverſum Patruos ſtabilitum ivit?

I.

JUſtis funebribus Geiſæ Patri Albæ Regiæ perſolutis, continuo Stephanus hujus nominis III. coronam accepit, qui cum optime perviderer, quantum ſibi cum Patruis futurum brevi eſſet Regni cauſa dimicationis, qui non armis modo, verum & Græcorum pecuniis Optimates oppugnaturi erant, quo in ipſo Regni aditu omnium ſibi fidem benevolentiamque lucraretur, triennio Hungariam omnem a pendendis vectigalibus abſolvit. Cæterum quantumvis ſincera fuerint gentis totius in eum ſtudia, cavere tamen non poterat; quominus certiſſimum amittendi in perpetuum Regni diſcrimen adiret, cui poſtea ſe reſtitutum, ac adverſum vim omnem conſtanter defenſum, non alteri, atque eximiæ Hungarorum fidei ac fortitudini in acceptis referre debuit.

II. Ut

STEPHANUS III.

Cur a Græcis ſolio depulſus?

II. Ut primum Geiſæ mortis nuncium in Græciam allatum fuit, quod dudum ante de redigenda in provinciam, Græcoque ſubdenda Imperio Hungaria conſilium animo & cogitatione complexus fuerat Manuel, nunc demum exequi conſtituit. A) Id quia a Stephano III. paterni in Græcos odii hærede vix obtineri poſſe cenſebat, curas cogitationesque omnes eo convertit; ut Regnum Hungariæ ad alterutrum Geiſæ fratrum apud ſe exulum devolveretur: exiſtimabat enim, homines tot ſibi beneficiis obnoxios, ſi ultimum hoc cumuli inſtar accederet, cuncta ex Græcanicæ Aulæ rationibus facturos. Eum in finem Sardicam cum exercitu profectus, Alexium Conto-Stephanum cum Stephano Geiſæ fratre in Hungariam præire juſſit, clientis inaugurationem modis omnibus procuraturum. Quo autem conſiliorum ſuorum fines obtegeret Manuel, eam facti rationem reddi voluit Hungaris, quod demortuis Regibus,

A) Non diffitentur id ſcriptores Græci: ut Cinnamus Lib. V. & Nicetas Ann. Lib. IV.

STEPHANUS III.

bus, non ad filios, ſed ad fratres Regum Hungariæ olim transmitti in more fuerit: ſuum itaque putaviſſe Manuelem, veterem revocare conſuetudinem, Principemque inique præteritum in avitum reponere ſolium. Mandata executus Conto-Stephanus, muneribus primum & pollicitationibus rem egit ſtrenue, cumque id non proficeret, minas adjecit, ſi potentiſſimi Imperatoris voluntati repugnarent: at fruſtra fuere omnia, Hungaris extrema quævis prius perpeti, quam in Stephanum Græcis & affinitate, & beneficiis obſtrictum conſentire paratis. A) Conto-Stephanus eam Hungarorum conſtantiam admiratus, omiſſo Stephano ſua in Ladislaum ſtudia tranſtulit pervicitque denique, ut Optimates Hungari Imperatoris, qui in propinquo cum exercitu eventum rei præſtolabatur, iras veriti, Ladislaum fratrum alterum ad ſolium evehe-

rent,

A) „Exiſtimabant Hungari *teſte Niceta loc. cit.* „minime e re ſua eſſe, virum admittere Romano „Imperatori affinitate junctum, quod vererentur, ne „ipſi ſuo Regi, Rex vero Imperatori pareret.“

rgent, Stephano ejus Germano Ducis dignitate & ditione ornato. A) Geſta hæc quidem ſunt a potiore procerum parte: multi nihilominus a legitimo Rege Stephano III. Geiſæ filio nulla ratione avelli poterant, qui tempeſtatem ſuis ſuperiorem viribus declinaturus, Poſonium B) ſe recepit opportunam recuperandi Regni operturus occaſionem. STEPHANUS III.

LA-

A) Refert Cinnamus Stephanum *Urami* dignitate donatum, ex quo conjectura eſſe poteſt, Regii ſanguinis Duces Hungaris Uram, Urunk, ſive Dominos fuiſſe dictos.

B) Ita MS. Ephemerides, quarum jam meminimus, in quibus eodem pene ordine res trium Regum collocantur, ut a Patre Pray in Annal. Reg. ex Scriptoribus Græcis erutæ explicatæque ſunt, ut adeó Chroniſtas noſtros præcipue quoad annorum rationem multum hallucinatos fuiſſe conſtet, ubi de duobus Stephanis & Ladislao II. Rege agunt.

LADISLAUS II.

REX XIV.

A. C. MCLXII.

LADIS-
LAUS II.

Quamdiu Regno præfuit?

I.

MAnuel Imperator comperto Ladislaum æque clientem ſuum Stephano III. exauthorato ſuffectum, nil tum alterius Stephani cauſa tentandum cenſuit, ſive hunc pariter ſuis opportunum putaret conſiliis, ſive nimia importunitate exulceratis Hungarorum animis cauſam omnem corrumpi nollet. Non ita ratum id habuit Stephanus, qui niſi ſceptro potitus quieſcere nequibat: quapropter non deſtitit eo usque; dum fratrem Ladislaum ſolio dejiceret, paulo poſt incertum, quo mortis genere, exſtinctum. A) Atque hac ratione

A) Conjugio nexum fuiſſe id evincit, quod filia ejus Maria Nicolao Comiti Arbenſi Michaelis Vitalis Venetorum Ducis filio collocata poſtea fuerit a Stephano III. ut habetur in Annal. Reg. ad An. Chr. MCLXVII.

tione anno nondum evoluto Regnum vitamque amiſit Ladislaus II. non alio nomine Regibus accenſendus, ac quod Regio diademate, ut Reges cæteri, inauguratus fuerit.

LADISLAUS II.

STEPHANUS IV.

REX XV.

A. C. MCLXIII.

STEPHANUS IV.

I.

Quibus artibus Regno potitus & exutus?

LAdislao vita functo Stephanus ejus Germanus, quem IV. dicemus, Græcanici belli comminatione ad imponendum ſibi diadema, fidemque jurandam plerosque adegit. Peractis III. idus Februarii inaugurationum ſolenniis, continuo, quo in Græcos eſſet animo, declaravit: ut enim Manueli gratiam referret, cum Semlino & Sirmio magnam Sclavoniæ partem Græcis tradidit. Ea limitum ſuorum alienatione viſa Hungari facile, quorſum res evaſuræ eſſent, aſſecuti, incredibile dictu; quantis

in

STEPHANUS IV.

in hominem arrogantius præterea, quam iis rerum rationibus oportuiſſet, ſe gerentem exarſere odiis. Id quoniam minime latebat Stephanum IV. ne quid acerbius in eum ſui ſtatuerent, tempeſtive Græcorum ſibi auxilia accerſenda putavit. Itaque per celerrimos nuncios Manuelem, quo ſuæ res loco eſſent, edocet, opemque implorat. Verum hoc ipſum ubi vulgatum eſt, novam illi conflavit invidiam, ut de modo eum ſolio tantum dejiciendi deliberarent, & aperte Stephani III. reſtitutionem urgerent. Tam ancipiti in diſcrimine cum ſe verſari cerneret Stephanus IV. non expectatis e Græcia auxiliis, Hungaria ſe clam ejecit, ociusque ad Manuelem jam tum Sardicæ cum exercitu commorantem advolavit. Manuel rebus rite cognitis, Alexio Conto-Stephano copioſum aurum, partemque copiarum tradit, præireque cum Stephano IV. cliente ſuo jubet, ipſe lentiori gradu progreſſus Semlinum caſtra promovit, pro rerum rationibus conſilia ſua accommodaturus, ut eventus comprobavit.

STE-

STEPHANUS II.

RESTITUTUS.

STEPHANUS II.

I.

Quibus conditionibus pax Manuelem inter & Stephanum III. compoſita?

SEra jam fuere auxilia, quæ Manuel reducendo Stephano IV. dederat. Hungari enim unanimi conſpiratione ad Stephanum III. Poſonium convolarant, qui cum non ad excipiendam ſolum, verum etiam inferendam vim ſe copiis inſtructum videret, maximis itineribus, qua Stephanus IV. cum Græcis venturus erat, contendit, ab ingreſſu Regni æmulum prohibiturus. Manuel ubi Ungariam omnem in armis vidit, etſi turbatas ſuas rationes graviter ferret, a bello nihilominus abſtinendum ſibi putavit: ſive quod in tanta animorum alienatione quidquam clientis ſui cauſa agi poſſe deſperarat, ſeu quod mentem ad alia interea traduxerat conſilia, quibus tutius id, quod animo conſtituerat, effectum daret. Erat, ut meminimus, Stephano III. minor natu frater Bela, pueritiam vix egreſſus: erat & Manueli pari ætate filia Maria,

STEPHANUS II. huic itaque Belam matrimonio conjungere, & quoniam mare tum adhuc carebat, ſuum in Romano Imperio ſucceſſorem inſtituere in animum induxit. Atque hoc connubio longe facilius, quam bello Hungariam in Bizantinæ Aulæ jura tranſituram non improvide ſibi perſuadebat Manuel: ſi enim Stephanus II. ut factum poſtea, absque hærede e vivis exceſſiſſet, Hungariæ coronam ſuapte ad Belam devolvi neceſſe fuit. His apud ſe conſtitutis, rei perficiendæ Georgium Palæologum ad Stephanum, Regnique optimates mittit. Is ubi mentem Imperatoris de Bela in generum, Imperiique hæredem adſciſcendo expoſuiſſet, cupidiſſime auditus fuit ab Hungaris, tanti honoris fulgore perſtrictis: nec mora pax utrinque coaluit: Bela Dux ad Manuelem traductus, ejusque hæreditas Græcorum adminiſtrationi credita fuit. His ex ſententia confectis Manuel Bizantium redux, Belam Cæſaris, ac Deſpotæ dignitate ornatum, Imperii hæredem deſignat, Optimatesque jure jurando adigit neminem præter Be-

lam

lam poſt fata ſua Imperatorem lectu-ros. A)

STEPHANUS II.

II. Sibi, ſolioque redditus Stephanus III. diligentius exploratis ſancitæ pacis conditionibus, ſentire cæpit; quam callide ſuam Imperiique Orientalis rem toto illo ſplendido negotio egiſſet Manuel, quamque arctis ſemet implexuiſſet compedibus. Regio Principe germano ſuo cum univerſa hæreditate Græcorum manibus conſignato, Manuel Sirmio Sclavoniaque potitus, expeditum in Dalmatiam, cui imminebat, iter habebat, ſpecieque tutelæ pupilli, fines imperii ſui non mediocriter prolaturus videbatur; Nec de nihilo metus erat, omnem pro reducendo Stephano IV. moturum lapidem: quod utrumque eventus brevi comprobavit. His accurate perpenſis, conſen-

Quibus ex cauſis violata ab Hungaris? quo modo rurſum reſtituta?

A) Hac juris jurandi religione ſubinde Imperii Optimates ſolvit Manuel, poſtquam ex conjunge altera Maria Antiochena Alexium filium ſuſtulit. Epitome Hiſtor. Bizantinæ ex Niceta & Cinnamo Græcis ſcript.

STEPHA-NUS II.

tientibus ſuis, mature pacem abrumpere, belloque admiſſum errorem corrigere decrevit. Itaque adſcito in ſocietatem Uladislao Bohemiæ Rege, priusquam belli fama Bizantium pertineret, in Sirmium profectus, nullo negotio urbem cum ditione omni ejectis inde Græcis in poteſtatem redegit. Manuel Sirmii amiſſi fama excitus non multo tempore interjecto, Belgradum cum exercitu appulit, prius tamen quam bello initium faceret, oblata pace Stephani III. animum exploratum voluit; nec alienus ab ea fuit Rex, Uladislai Bohemi adhortationibus, quem a fœdere cum Hungaris Manuel avertere conatus fuit, inductus. Id unum cautum voluit, ne Græci Stephanum IV. Patruum ſuum pecuniis militeque adjutum irent, quod cum Manuel addixiſſet, tota rurſum Belæ hæreditas Græcis eſt reſtituta.

Unde alterum enatum bellum, quanto Regni Hungarici detrimento?

III. Minus ſincere actum a Manuele cum Hungaris: quo enim Stephano III. Regi ægre faceret, ære copiisque liberaliter inſtructum Stephanum IV. in Hungariam abire

abire ſivit, fortunam denuo periclitaturum. STEPHANUS II.
Stephanus III. Rex ea Græcorum perfidia ſe quoque omni ſolutum religione exiſtimans, arma opponit armis, æmulumque fines fœdum in modum populantem ex Hungaria eliminat, eodem belli impetu progreſſus, Sirmium, quo Stephanus IV. ſe receperat, arctiſſima circumvallat obſidione. Diu & loci firmitas & Græci militis Hungarorum luſit conatus, luſiſſetque porro; niſi Stephano IV. belli totius face non ſine veneni ſuſpicione exſtincto, A) præſidiarii ultro feciſſent deditionem. Manuel qui ad ſuccurrendum laboranti Stephano univerſi Imperii vires contraxerat, paucis poſt captam urbem diebus adfuit, copiasque Sirmio circumfudit, & quod nondum ſuis e ruinis ſurrexerat, aggreſſionem continuo imperat; quam cum pertinaciter urgeret,

A) Ferunt Thomam Stephani IV. familiarem, cum hic venam ſibi aperiri feciſſet, ictum veneno corrupiſſe: ejus corpus aliquamdiu ab Hungaris ludibrio habitum in æde S. Stephani Proto Mart. conditum fuit Sirmii, An. Chr. MCLXV. ſerius inde Albam Regiam translatum.

STEPHANUS II.

cæſis feſſisve continuo novos recentesque ſufficiendo, vi urbe potitus ſuit. Enituit tum ſingularis Hungarorum, quos Rex præſidio reliquerat, virtus, qui cum pectora ſua pro mœnibus oppoſuiſſent, non prius tuendi loci, quam vivendi finem fecere internecione deleti. Opportuniſſimæ urbis jactura, ac præcipue quod Græcorum fraude a fœderatis omnibus deſtitutum ſe videret, A) commotus Stephanus III. Rex pacem a Manuele popoſcit, ac etiam impetravit; at non diu duraturam: Manuel enim Chaluphe Nicephoro in Dalmatiam ablegato, Spalatum, Tragurium, Sibenicum aliasque LVII. Hungarici tum juris urbes Belæ nomine occupari curavit.

IV.

A) Manuel vetera cum Rege Bohemiæ fœdera juris jurandi religione interpoſita renovaverat, Henricum Auſtriæ Ducem affinitatis ſibi vinculo conjunxerat, Hieroslaum denique Halliciæ Ducem turpiſſimis calumniis adeo a Stephano III. Rege alienarat, ut eidem filiam, quam ante ſolenni pactione deſponderat, in matrimonium tradere detrectarit, ac idcirco Stephanus aliam ſibi quærere conjugem cogeretur Agnetem Auſtriacam: quare Bigamum fuiſſe inter calumnias reponendum eſt.

IV. Tantarum urbium jactura gravior erat, quam ut Stephanus III. Rex eam negligere poſſet. Inſtauratum igitur majoribus animis, quam viribus bellum, variaque ad obitum usque Regis geſtum fortuna. Ad Sirmium Michael, & Georgius Græcorum Duces inſigni clade victi ſunt ab Hungaris, ut e cæſorum cadaveribus prægrandem excitarit tumulum Dionyſius Hungaricarum copiarum Ductor, ad victoriæ magnitudinem exaggerandam. Aliud quoque certamen habitum iisdem Ducibus, verum ita æquo marte, ut neutri parti triumphum canere liceret. Exinde populatione potius, quam juſtis præliis res geſta, nullo Hungariæ commodo, quod Dalmatiæ jactura nullo pacto poſſet reparari. Atque hinc contractus animi mœror mortem Stephano acceleravit, cum enim ſororem ſuam Helenam Leopoldo Auſtriaco, cujus ipſe germanam Agnetem paulo ante duxerat, matrimonio collocaſſet, nocte IV. Nonas Martii præcedente nullo prius morbi indicio exſtinctus Strigonii, & humatus fuit Ann. Chr. MCLXXIII. Erat Stephanus III.

STEPHANUS II.

Quo ſucceſſu geſtum tertium cum Græcis bellum?

STEPHANUS II.

ſi quis unquam excelſi, atque ad ditiones juraque ſua tuenda infracti animi, longiore plane vita digniſſimus, qui ſi a Patruorum Stephani IV. & Ladislai II. impetitionibus, aut potius Græcorum perfidia ſemet tempeſtive extricare potuiſſet, præcipuos deceſſorum ſuorum virtute felicitateque regendi exæquaſſet.

BELA III.
REX XVI.
A. C. MCLXXIV.

BELA III.

I.

Qua ratione avito redditus ſolio?

ELato ſine liberis Stephano, expectandum aliquamdiu cenſuere Proceres Hungari, dum Regina Agnes partu levaretur; at prole continuo demortua, habitis de optando Rege comitiis, cum nemo alter e Regia Hungarica ſtirpe ſupereſſet, Belam e Græcia accerſendum putavere. Miſſi eum in finem Legati, qui Regium Principem a Manuele repeterent. Ille Sardicæ

tum

BELA III.

tum cum exercitu res Hungaricas e propinquo ſpectabat, vehementerque gravisus fuit, ſua in Belam ſtudia ab Hungaris occupata fuiſſe. Facile itaque aſſenſus, priusquam Regium Principem Hungaris redderet, ſolenni eum jure jurando obſtrinxit ad omnia, quæ ex Aulæ Bizantinæ rationibus futura viderentur, ſollicite curanda, tum viris apud ſuos Illuſtriſſimis, una cum Margareta ſponſa Auguſtæ conjugis ſuæ Mariæ ſorore A) in Hungariam ſplendido apparatu deducendum tradidit. Recta Albam Regiam itum, ubi quoniam Lucas Strigonienſis Archi-Epiſcopus morbo impeditus aberat, a Colocenſi Antiſtite coronatio peracta fuit. B) Idibus Januarii Ann.

Q 5 Chr.

A) Manuelis filiam Mariam idcirco non traditam Belæ Græci ſcriptores aſſerunt, quod lex cognationis obſtaret: quæ haud alia fuerit, ac quod Belæ Patruus Stephanus IV. Manuelis ex Iſacio fratre neptem conjugem habuiſſet: affinitatis obices plures fuiſſe apud Græcos, quam apud Latinos per ſe notum eſt. Niſi forte quis id, a Priſca S. Ladislai filia, ut ſuo loco explicavimus, repetendum exiſtimet, quæ Fl. Manuelis Comneni Mater fuit.

B) Ne quid eapropter Strigonienſis Archi-Epi-ſcopi

BELA III. Chr. MCLXXIV. Sic tum Bela Hungaris reſtitutus non item hæreditas, quæ ad obitum usque Manuelis apud Græcos perſeveravit.

Quam ſapienter continuo ordinata Aula Hungarica?

II. Ut poſſeſſionem Regni adiit Bela, extemplo ad ordinandas Aulæ ſuæ rationes, atque ea, quæ apud Bizantinos recte ſapienterque uſitata meminerat, in Hungariam introducenda curas applicuit. Cum antea Reges Hungariæ promiſcue, ac immodeſtius ab hominibus adirentur, auresque indoctæ multitudini ſolerent commodare, fiebat non raro, ut ſeu ob garrulitatem, ſeu proponendi inſcitiam tædio affecti, cauſa minus accurate cognita perperam ferrent judicia; aut certe dignitatem ſuam

ſcopi Juribus derogaretur, cavit Bela editis literis, ubi ſic habet. „Ego Bela Dei Gratia Hungariæ &c. „Rex ſuſcipio coronam de manu Colocenſis Archi-„Epiſcopi, ſed non in præjudicium Strigonienſis „Eccleſiæ, quo minus Hungarici Reges ab ejusdem „Eccleſiæ Archi-Epiſcopis ſemper debeant in poſterum coronari.„ In Annal. Reg. Hung. ad An. Chr. MCLXXIV. vide item ibid. An. Ch. MCCIX.

ſuam ea conſuetudine parum decore tuerentur; cui incommodo ut occurreret Bela, duos precum miniſtros, ſeu Cancellarios adſcivit, qui quotidianas petitiones ſumma fide in ſcriptum relatas, Regi ſecreto legerent, ab eoque ſcripta pariter reſponſa acciperent. Atque ſub hoc primum Regia Cancellaria frequentior eſſe cœpit, cum prius Reges fere Notario, aut Sigillatore ſolum uti conſueverint. Inſtitutum ſane quam utile gravibus non raro occaſionem præbuit querimoniis, cum nempe id genus homines Regum aures obſidebant, qui rei ſuæ familiaris cupiditates, privatasque odii vel amicitiæ affectiones publicis reipublicæ rationibus anteponere non dubitarunt, id quod non leve ad turbas, quæ ſub Bela IV. enatæ ſunt, momentum attulit.

BELA III.

III. Fœdos pariter abuſus, qui deceſſorum Regum conniventia in res Eccleſiaſticas irrepſerant, ſumma æquitate correxit Bela. Ad ſarciendas ærarii Regii anguſtias factum nonnunquam, ut in Præpoſitorum

Quomodo item abuſus in rebus Eccleſiaſticis correcti?

Abba-

BELA III. Abbatumve locum profani homines ea lege ſubintrarent, ut certa pecuniæ ſumma fiſco numerata, fructus cæteros ipſi abligurirent. Vacante Epiſcopi ſede laici bonis adminiſtrandis interea præfecti, adeo maligne res procurabant, ut non tam Regis, aut Eccleſiæ, quam opum ſuarum augendarum rationem habere viderentur. Complures Eccleſiarum Prælati indicta cauſa, adverſum canones beneficio dejecti: id quod ipſi etiam Antiſtites in Sacerdotiis ſuæ collationi obnoxiis non raro exercebant. Graviſſimum vero illud fuit, quod Reges nulla habita ætatis, doctrinæ, ac virtutis neceſſariæ ratione, minus idoneos Eccleſiarum regimini Angelicis etiam humeris formidando præficerent Antiſtites. Hæc & his conſimilia cum Pontifex Alexander III. per Lucam Strigonienſium Archi-Epiſcopum, & ſubinde per Matthæum Diaconum Cardinalem Legatum ſuum Regi ob occulos poni curaviſſet, ita rem temperavit Bela, ut jus quidem patronatus in Eccleſias ſalvum ſibi retineret, ſponderet nihilominus inſtitutionem, translationem, aut depoſitionem

Epi-

Epiſcoporum minime faciendam citra ſcitum ſedis Apoſtolicæ. A) Neminem præterea e regalibus ſacerdotiis per Regem; e minoribus per Epiſcopos beneficio privandum, niſi quæſtione inſtituta canonice convictum. De ſedium vacantium bonis conſtitutum, ut per viros e Clero adminiſtrarentur, æsque inde conflatum in Epiſcopalium, aut Canonicalium ædium inſtaurationem, vel pauperum viduarumve uſus impenderetur, nec niſi bello, aut neceſſitate graviore incumbente, ærario Regio poſſit inferri.

BELA III.

IV. Interea Manuel orientis Imperator diem ſupremum egit, a cujus obitu Spalatum, Jadra, Tragurium cæteræque Dalmatiæ urbes Bela id exigente, ad Hungariam poſtliminio redierunt. Nihil non egere Veneti, ut aliquam inde ſibi partem decer-

Qua tempeſtate reſtituta S. Coronæ Dalmatia?

A) Juribus ſuis minime renunciaſſe Belam vel inde colligitur, quod Spalatenſi Eccleſiæ Raynerio Paſtore ſuo orbatæ Petrum e Nobili apud Hungaros Chilenorum ſtirpe prognatum Antiſtitem Regia ſua Auctoritate dederit, quam electionem ſubmiſſo pallio ratam habuit Lucius III. Pontifex.

BELA III. decerperent, verum tanta erat Dalmatinorum in Belam propenſio, ut nullis machinis ab ejus fide abjungi poſſent. Ad cæteras Dalmatiam retinendi artes, non parum contulit, quod Andream filium Dalmatiæ Croatiæque Ducem conſtituerit, qui non modo humanitate ſua, ſed etiam reportata de Venetis Serviisque victoria, incredibilem ſibi Hungarisque apud eam gentem æſtimationem amoremque conciliavit. Illud item hic breviter notandum quod ſub hoc Rege S. Corona Hungariæ Ann. Chr. MCLXXXV. Galliciæ poſſeſſionem adierit per Andream ſecundo genitum, qui poſtea hujus nominis ſecundus & Hieroſolimitanus dictus Hungaris imperavit.

Quantam ſui moriens Bela reliquit memoriam?

V. Poſtquam duobus & viginti annis rara prudentia & gravitate ſumma cum pace præfuiſſet Hungariæ Bela, cum ob provectam ætatem; tum vero morborum vim vicinam ſentire cæpit mortem. Itaque quemadmodum providum decebat Patrem, Emericum jam ante Ann. MCLXXXV. diademate inſignitum ſucceſſorem nomina-

BELA III. poris gentium morem excolere cæpit; bella nunquam per ſe, verum per conſtitutos a ſe Duces gerebat. Illud ſingulare videri poteſt in homine apud Græcos educto a teneris, quod ſummam ſemper adverſus Romano Catholicæ Eccleſiæ Pontificem præſetulerit reverentiam: neque illud tacendum, quod florentiſſimum Ciſtercienſium ordinem a Geiſa Patre in Hungariam introductum, iisdem quibus apud Gallos gaudebant, inſtructos eſſe voluerit prærogativis. Denique Belæ curis debet Hungaria, S. Ladislaum Regem ſuum Sanctorum faſtis adſcriptum.

EMERICUS
REX XVII.
A. C. MCXCVI.

EMERICUS.

I.

Quo facinore Regni ſui initia obſcuravit?

EMericus, qui pluribus annis vivo adhuc Patre adminiſtrarat rempublicam, ut primum rerum potitus fuit, minus humano

mano facinore Regni ſui initia contaminavit. Erant Boleslao Vacienſium Epiſcopo diuturnæ cum quibusdam ſuæ Diæceſis Clericis lites: querebantur redituum ſuorum partem Epiſcopi ærario illatam; reapſe diſciplinæ ſeveritas diſplicebat. Ubi Romæ cauſa cecidiſſent, apud Emericum inſimulant innocentem virum, quaſi iniquiſſimis avaritiæ ſordibus peculium ſuum ditatum iret. Emericus ſeu objecta crederet, ſeu ex Epiſcopi opibus ærarium regium, tum forte exhauſtum, locupletatum cuperet, rem parum dignitati ſuæ decoram aggreſſus fuit. IV. enim feria poſt primam S. quadrageſimæ Dominicam ſub noctis crepuſculum Epiſcopo cum Canonicis Completorium in Eccleſia decantante, cum ſatellitio ingreſſus, gazophilacii claves ſibi tradi, temploque Antiſtitem excedere jubet: tergiverſantem aliquamdiu venerandum ſenecionem ſuis a ſummo Altaris gradu detractum manibus ſolo allidit, quem poſtea ſatellites parum reverenter extractum pro foribus Eccleſiæ ſeminecem reliquerunt. Reſerato deinde ſacrario cuncta ſagaciter perſcrutatus

EMERICUS.

EMERICUS.

tus Emericus, magnam pecuniæ vim condendæ Leleſzienſi præpoſituræ deſtinatam abſtulit. Verum admonitus ſubinde ab Innocentio III. Pontifice acta pœnitentia eum ſe deinceps exhibuit, qualem eſſe decebat tantorum Regum ſucceſſorem.

Quæ belli cum Andrea fratre exordia?

II. Ab Andrea fratre gravis in eum conflata fuit procella. Hic enim omiſſa Hieroſolymam trajiciendi cura, qua ex Patris teſtamento obſtrictus fuerat, immenſos eum in finem ſibi relictos theſauros lautius vivendo penitus abligurivit: ubi ad aſſuetum jam luxum bonorum ſuorum reditus impares ſenſit, in peculium Regium viſcoſas immiſit manus. Strenue ſemet Emericus oppoſuit, & ne quid homo ſui impotens moliri poſſet, ejus in Illyrico auctoritatem arctioribus circumſcripſit limitibus, Dominico de Nadasd totius Sclavoniæ Bano conſtituto. Graviter eam fratris adverſum ſe ſeveritatem tulit Andreas, eoque iarum abreptus fuit, ut initis cum Leopoldo Auſtriæ Duce fœderibus, clam conſcripto exercitu in fratrem movere non

dubi-

dubitarit. Emericus nondum ſatis a copiis inſtructus, principio victus fuit; verum paucos poſt dies auctus viribus, redintegrato certamine victor e prælio exceſſit. Fraterno bello finem impoſituri, qui tum recte in orientem ibant Chriſtiani Principes componendæ pacis arbitrium ſibi depoſcunt, atque ita demum pronunciant: Rex Emericus una cum Duce Andrea ad expeditionem ſacram proficiſcerentur, Regno interea vicaria poteſtate præeſſet Leopoldus Dux Auſtriæ. Sed quoniam Emericus avitum Regnum alteri, & quidem extero credere minime tutum exiſtimabat; neque Andreas Dalmatiæ poſſeſſione exui vellet, neutro in terram ſanctam abeunte bellum recruduit. EMERICUS.

III. Itaque magni utrinque exercitus ſine mora comparati, ultimam ut civilibus in bellis ſolet, patriæ perniciem minitabantur. Ubi mutuo in conſpectu ſtetere adverſæ acies, Emericus tot civium unius ambitioni immolandorum cædem miſeratus, conſilium iniit, quod obtutu primo temerarium Quis exitus?

EMERICUS.

rarium videri poterat, utiliſſimum tamen fuiſſe eventus docuit. Quæ pugnam antecedebat die, virgam manu geſtans rebellium caſtra ingreſſus, ſublata ut a cunctis audiri poſſet, voce viſurum ſe, inquit, qui primus perfidas in Regem ſuum manus injicere auſurus eſſet: eo dicto & tacita quadam Regiæ perſonæ reverentia perculſi, viam ultro tranſeunti aperiunt Emerico, qua nemine reſiſtente ad fratris Andreæ tentorium pervenit. Inopinato eo ſpectaculo comotum, nec ſibi ſatis conſtantem, poſtquam acrioribus objurgaſſet verbis Emericus, per proprios comprehendi ſatellites, atque in caſtrum Kehene in Sclavoniam captivum abduci jubet: ad rebelles deinde converſus, ubi omnes in genua provolutos, clementiamque implorantes vidit, venia data domum ſingulos abire ſivit, ex quo intelligas, quam curæ Deo ſint uncta Regum capita.

Quid geſtum præterea ab Emerico?

IV. Foris non minus proſpera uſus fuit fortuna, niſi quod fraterni diſſidii tempore Veneti Gallorum auxilio Jadram occuparint.

parint. Verum eam jacturam cumulate compenſavit Emericus, dum Stephano Serviæ Megajupano victo exauctoratoque, Vulcum ejus fratrem præfecit Hungaris fiduciario nomine futurum obnoxium. Bulgariæ quoque partem magnam Ioannitio gentis regulo eripuit, primusque Serviam, & Bulgariam titulis Regum inſeruit. A) Hæc non ſine maxima coronæ Hungaricæ gloria agentem mors inopina rapuit. Regni hæredem ſcripſit Ladislaum, quem ex Conſtantia Arragonia ſuſtulerat filium, hunc infantem adhuc VII. Calendas Septembris An. MCCIV. coronari curaverat, eidemque & ab Andrea fratre, & ab Optimatibus fidelitatis Sacramentum præſtari juſſerat, ea tamen lege; ut donec Ladislaus adoleſceret, Andreas Tutoris nomine rempublicam moderaretur: quo ſic & hujus ambitioni deferret aliquid, & populli ſecu- EMERICUS.

 ritati

A) In literis Anni MCCII. ſic orditur: Hemericus Dei Gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Bulgariæque Rex in perpetuum. In aliis An. MCCIV. Serviæ pariter ſe Regem ſcripſit.

ANDREAS II.

HIEROSOLYMITANUS.

REX XIX.

A. C. MCCV.

ANDREAS II.

I.

Quæ prima motuum in Regno ſemina?

ANdreas hujus nominis II. Rex, IV. Calendas Junii regnum auſpicatus eſt diuturnum quidem; ſed continuis & ſua, & ſuorum culpa turbis exagitatum. Juvat nonnulla earum ſemina paulo altius repetere. Cum in Illyrico agebat, Andreas, matrimonio ſibi junxerat Gertrudem Bertholdi Meraniæ, & Carinthiæ Ducis filiam matronam lectiſſimam, Belæ IV. Regis pluriumque prolium Matrem. Ut Regno potitus, pro ſuo in chariſſimam conjugem ſtudio germanos illius: Joannem Strigonienſibus Archi-Epiſcopum dederat, Bertholdum vero Colocenſibus, additis huic profanis inſuper dignitatibus Sclavoniæ Bani, & Tranſilvaniæ Vaivodæ. Præter hos in ſacra republica ſummos Magiſtratus, alii quoque in conjugis gratiam exteris fue-

re crediti maximis Hungarorum ingratiis. ANDREAS II.
Neque illud leve videbatur, quod Calanus Quinque-Eccleſienſis Epiſcopus ſummis olim ſub Bela III. perfunctus cum laude muneribus, a Strigonienſi Eccleſia, ad quam & ſuffraganeorum omnium commendatione, & Regis ipſius judicio deſtinatus fuit, repente ut peregrino homini locum faceret, non ſine infamia excluſus fuerit. A) Id quod non Calani modo neceſſarios, verum alios etiam implacabili in Regem & Reginam odio complevit, ut de exauthorando Andrea, eique ſufficiendo filio Bela clam conſilia agitarent. B)

A) Calanus omni criminis ſuſpicione abſolutus in præmium fortiter toleratæ Calumniæ, ſibi ſuisque in Quinque-Eccleſienſi Eccleſia ſucceſſoribus Pallii Archi-Epiſcopalis uſum obtinuit ab Innocentio III. Pontifice.

B) Hac de cauſa Andreas denuo Strigonienſibus Metropolitis jus coronandi Reges aſſeri a Pontifice Innocentio II. impetravit, certus Joannem Strigonienſem Affinem ſuum nunquam ſuis ingratiis filio diadema daturum.

ANDREAS II.

Quid de cæde Gertrudis Reginæ?

II. Prima vis tempeſtatis in caput Reginæ Gertrudis erupit. Quo tempore Andreas in Halicia aberat, Bancus Comes Biharienſis, idemque curialis Reginæ faciles officii cauſa in intimum conclave nactus aditus, inermem nec quidquam tale meritam, lethali vulnere confodit IV. Calendas Octobris An. MCCXIII., non alia de cauſa, ac quod exteros protegeret. A) Immane parricidium non diu inultum ſivit Divina Nemeſis, Bancus nocte inſequente jugulatus interiit: in cæteros Andreas domum revocatus quæſtionem habuit, quinque Comites ſceleris conſcii exquiſitis affecti ſuppliciis, ſcelus denique contra, quam domeſtici ſcriptores referant, egregie vindicatum. B)

III.

A) Longin. Hiſt. Pol. Lib. VII. Caſpar Bruſchius Egranus de Laureaco veteri, & de Patavio germanico edit. Baſil. An. MDLIII. hanc cædis cauſam aſſignant. Bonfinii contra narratio fabulis reſperſa eſt.

B) Fidem faciant diplomata, queis cæſorum bona aliis bene meritis conferuntur. Notandum: Banconem hunc alium eſſe ab eo, qui Palatini dignitate fulgebat.

ANDREAS II.

Qua tempeſtate, quove ſucceſſu peracta expeditio Hieroſolymitana?

III. Abſterſo aliquantum luctu, alteram Andreas ſibi adſcivit conjugem Jolen, Petri Altiſſiodorenſis Comitis, electi orientis Imperatoris filiam, quæ per abſentiam illius tenerarum prolium curam gereret. Urgebat enim & Pontifex, & cæteri Principes Chriſtiani, ut abrupta omni mora ad expeditionem Hieroſolymitanam properaret, quoniam maxima tum recuperandæ terræ ſanctæ apparebat neceſſitas & opportunitas. Itaque Belam filium eum in finem inauguratum Regni Hungarici ſucceſſorem declarat: Colomanum Haliciæ, a) ea conditio-

a) Poſtquam Gallicienſes *Principes & Populus ditioni* S. Coronæ *Hungariæ ſubjecti humiliter* poſtulaſſent, ut Andreas II. Rex *eis filium ſuum Regem præficeret*, Colomanus An. MCCXIII. a. Joanne Strigonienſi Archi-Epiſcopo in Urbe Galliciæ Coronatus a Ruſſis fidei Sacramentum accepit. Jura autem S. Coronæ Hungaricæ in Galliciam & Lodomeriam explicata reperies in Diſſertatione noſtra de Titulis & Inſignibus Magnæ Mariæ Thereſiæ ut Reginæ Hungariæ, quam adjecimus ſpecimini Progonologico Genealogico Aug. Dom. Habsb. Lotharingicæ

ANDREAS II.

tione; ut alterutri forte exſtincto, tertius natu Andreas ſuccederet. Denique Regno Joannis Archi-Epiſcopi Strigonienſis fidei commendato, cum X. millibus equitum in Dalmatiam profectus, conſcenſis Spalati Venetorum navigiis, in Cyprum, tum Acconem vela fecit; ubi excenſione facta, poſtquam ſupremum in Chriſtianas copias imperium obtinuiſſet, Betzaidam adverſus Conradinum Sephedini Saracenorum Sultani filium caſtra promovit. Barbari viſo Chriſtianorum numero ac virtute, detrectata ubique pugna, terga vertentes, caſtella oppidaque omnia eis diripienda relinquebant. Hunc in modum nemine reſiſtente progreſſi Cruce ſignati, ubi loca omnia Chriſti ſervatoris noſtri memoria conſecrata venerati fuiſſent, ablutis in Jordane corporibus, arci in vertice montis Thabor

a

gicæ edit Vindobon. An. MDCCLXXIV. Item in eadem diſſertatione, quam auctiorem & hactenus ineditis Diplomatibus locupletatam ibidem edidimus ſub titulo Abhandlung von den Titlen und Wappen der M. Thereſia. &cet.

a Barbaris excitatæ copias admovent. Paucis ab inchoata obſidione diebus Barbari de tradenda honeſtis conditionibus arce agere inſtituerant, fuiſſentque opportuniſſimo eo loco haud dubie potiti Chriſtiani, niſi pulcherrimas eas ſpes invidia corrupiſſet; cum enim bellum tam proſpere geſtum Andreæ Ductoris virtuti adſcriptum iri cenſerent aliqui, verebantur fortaſſe, ne is tam præclaris ſucceſſibus incitatus, ad res ſuas in oriente ſtabiliendas adjiceret animum, quod alioquin conſtabat, Conſtantinopolitanos Andreæ jam prius orientis Imperium detuliſſe, A) exiſtimantes a nemine melius, atque ab illo id adminiſtrari defendique poſſe; qui ditiones ſuas Græcis conterminas poſſideret. Hæc itaque apud ſe cum reputaviſſent, quo Regis Hungari gloriæ obicem ponerent, pedetentim dilabi cœpere. Primus Hieroſolymorum Rex ſignum rece-

ANDREAS II.

A) Raynaldus ad An. MCCXVII. & Annal. Reg. ad eund. annum, talem nempe Latini Bizantii tum Domini cupivere Imperatorem, qui res Latinorum in oriente ære militeque ſuo tueri poſſet.

ANDREAS II.

receptui cecinit, tum Cypri, ac poſt hunc alii ex ordine Principes, ut adeo toti belli moles Hungaris & Auſtriacis incumberet; perſtabat nihilominus firmus Andreas, donec (incertum quo auctore) venenata potio ei propinata fuit. E graviſſimo enim inde contracto morbo ægre ſibi reſtitutus, ne porro nullo pretio operæ diſcrimini vitam objiceret, ad reditum ſe comparavit, ratus & Patris ſui Belæ III. voto, & Chriſtianorum Europæ Principum exſpectationi abunde ab ſe ſatisfactum iis, quæ brevi illo temporis ſpatio glorioſe egerat, ut adeo non immerito Hieroſolymitani appellationem ſibi conſecutus videretur. Quapropter curatis aliquantum Tripoli corporibus, Antiochiam pervenit, ubi ſplendidiſſima cum Leone Armeniæ Rege contracta affinitate, a) in Græciam delatus, Mariam

a) Leo Rex Armeniæ ea conditione filiam ſuam tertio genito Andreæ Regis filio deſpondit, ut dotis nomine Regnum ipſum acciperet, demortua etiam ſine prolibus conjuge ad ſucceſſores, quos ipſe

riam Theodori Laſcaris A) Græcorum in Aſia Regis filiam Belæ, primogenito conjugem deſpondit, flexoque per Bulgariam itinere in Hungariam ſecum adduxit.

ANDREAS II.

IV. Domum anno jam evoluto reverſus Andreas paulo foedius laborantem repererit Hungariam, quam ex literis nunciisque ſibi abſens adumbraverat. Potentiores contempto pueri Regis curatorumve Imperio, laxatis ambitioni & avaritiæ frenis, ut cupidi-

Redux domum quam perturbatam reperit Hungariam?

ipſe vellet, tranſiturum. Verum incertum qua de cauſa Armena Regina nunquam Duci Andreæ in manum convenit.

A) Expugnata per Latinos Conſtantinopoli avaeque expilata, Græci Principes urbe profugi provincias, ut ſors tulit, pro ſe quisque tuendas ſuſcepere. His multo felicior Theodorus Laſcaris Alexii Angeli Comneni Imperatoris gener Bithyniam cum Nicæa, Pruſa aliisque urbibus occupavit Deſpotæ nomine, brevique virtute ſua Regni fines ita auxit, ut a Græcis adverſum latinos Imperator ſalutatus fuerit. Is itaque ut res ſuas contra Latinorum non tam Saracenis, quam Orientis Imperio imminentium impetus firmaret, Hungarorum affinitatem amicitiamque expetivit. Epit. Hiſt. Bizant.

ANDREAS II. piditas ferebat, vicinorum occupabant fundos: nec ſacris nec coronæ bonis parſum, nemo erat, qui uſurpatores iniquos in jus vocare auderet, quod neque ii, qui Regi a conſiliis aderant, a crimine immunes eſſent. Certe Andreas datis ad Pontificem literis adeo ærarii ſui nervum direptum fuiſſe conqueſtus fuit, ut nec quindecim annorum ſpatio quavis adhibita diligantia reparari poſſe aſſereret. His acceſſit ſumma in tribunalibus iniquitas, quod judices divitum potentumque præ pauperibus rationem haberent. Malis his medicinam allaturus Andreas raptoribus & depeculatoribus diem dixit; at illi male ſibi conſcii, ſeveritatemque Patris luſuri, facta ad Belæ filii judicium appellatione, comparere detrectabant. Quo quidem præterquam quod graviſſimis criminibus impunitas conceſſa, ambitio inſuper Belæ Regis immenſum quantum alita auctaque fuit: deguſtata ſemel regnandi dulcedine, cedere nullo jam pacto volebat, æquam ſibi in Regno deberi cum Patre poteſtatem contendens. Hunc in modum ſciſſa Aula Regia, Procerum

quo-

quoque ſtudia binas in partes abiere, gliſcentique igni aſſentationibus ſuis nova ſuppoſuere fomenta, e communibus diſſidiis privata ſua compendia procurare gnari. ANDREAS II.

Quænam adhibita remedia?

V. Optimates, quibus quies & tranquillitas cordi fuit, cum viderent mala omnia e legum a Divis Regibus latarum oblivione profluxiſſe, auctores Andreæ fuere, ut generali conventu celebrato, communia gentis vulnera latis in commune legibus ſanatum iret. Ingens omnium ordinum frequentia confluxit An. MCCXXII. Juſſi Optimates ea, queis jura ſua infringi putarent, in medium proferre; Rex pariter, quæ in auctoritatem ſuam fiſcique jura peccata fuiſſent, propalam expoſuit. Poſt diuturnam deliberationem, rogatis ultro citroque ſententiis, celebratum illud Andreæ Regis Decretum dictatum fuit; quo & Regiæ majeſtatis auctoritas, & Hungarorum immunitates ad D. Stephani normam explicatæ ſunt: Cautum: ne nobilium ſacrorumve locorum fundi vectigalibus ſubjaceant: ne nobiles, niſi citati prius

ANDREAS II.

convictique comprehendi mulctarique poſſint. Iidem cum propulſandum a finibus bellum, ære ſuo: cum extra limites inferendum, Regiis ſtipendiis militiam facere juſſi. Exteri citra Optimatum conſenſionem nullis in Hungaria muneribus præfici poſſint; A) nullo vero pacto ferendum, ut Iſmaelitæ, aut Judæi officiis Camerarum: rei monetariæ, ſalinis, vectigalibus exercendis præſint. Judiciorum ratio aliquantum a veteri immutata: rogatus Rex, ut Feſto D. Stephani Albæ Regiæ adeſſe, peractisque Divinis officiis, cauſis nobilium cognoſcendis definiendisque vacare velit: ſin ipſe morbi aliave de cauſa venire nequiret, Palatinus in judiciis vices ejus obeat, quin tamen de capite, & fortunis decernere poſſit citra Regis aſſenſum. Nemo plures in Regno Magiſtratus, aut hæreditario jure obtineat. Quoniam Bela tertiæ Hungariæ parti præerat, frequentemque ut Regem decebat, alebat Aulam, per-

A) E lege hac confirmantur ea, quæ de cæde Reginæ Gertrudis retulimus.

permiſſum cunctis ejus Regiæ obſequiis ſemet addicere: vetitum nihilominus, inchoata lite, aut lata ſemel ſententia, a Patris judicio ad filii tribunal appellare. Quæ aliave eo in decreto comprehenſa, adeo firma eſſe voluit Andreas, ut ſi ipſe, aut ſucceſſores eadem violatum irent, Epiſcopi, Optimates, Nobilesque univerſi Regni liberam habeant citra infidelitatis notam Regi ſuo reſiſtendi, & contradicendi facultatem. A) Diplomatis aurea bulla ſignati exempla ſeptena variis in locis repoſita fuere ſtudioſe aſſervanda. B) Celeberri-

A) Clauſula hæc multorum inteſtinorum bellorum occaſio excluditur cum a Decreto hoc, tum a formula juramenti, qua ſe Reges noſtri inaugurationis tempore nominatim ad Regis Andreæ II. privilegia obſervanda obſtringere ſolent. Juxta artic. IV. Anni MDCLXXXVII. item I. Anni MDCCXV. denique Artic. II. An. MDCCXLI.

A) *Decretum ita habet* „ Unum par mittatur „ Domino Papæ, & ipſe in regeſto ſuo ſcribi faciat. II. penes hoſpitale *nempe Romanum*. III. penes Templum *ſcilicet Albenſe*. IV. apud Regem. V. in Capitulo Strigonienſi. VI. in Colo- „ cenſi.

ANDREAS II.

mo hoc decreto pax reddita reipublicæ, non tamen diu duratura. Nam neque Andreas quæ provide ſapienterque caverat, effecta dedit: neque Optimates ab iis, quæ prohibita fuere, diu ſe abſtinuerant. Novis itaque rurſum enatis diſſidiis, nono abhinc anno aliud huic conſimile diploma editum, utriusque Regis ſigillo communitum, quo facta Strigonienſi Archi-Epiſcopo Regis a communione fidelium excludendi poteſtas, ſi contra ac ſtatuerat, agere admonitus non deſiſteret.

Quid diſſidii Regem inter Andream & filium Belam interceſſit?

VI. Curata utcunque republica, acerrima Patrem a filio diſtraxerant odia. Cum in hujus pro Regis dignitate non infrequentem Aulam majores in dies fierent ſumtus, Regina pariter Maria circum An. MCCXXI. eidem tradita, non parum ſuo cum

„ cenſi. VII. apud Palatinum, qui pro tempore fue„ rit; ita quod ipſam ſcripturam præ oculis ſemper „ habens, nec ipſe deviet in aliquo prædictorum, „ nec Regem, nec nobiles, nec alios conſentiat „ deviare.„ *Vide Corpus Juris Patrii.*

cum Gynæceo auxiſſet familiam, urgebat Bela Andream, plus ut ſibi ditionum permitteret: Pater ad preces omnes ſurdus tantum abeſt, ut quidpiam novi adjecerit, ut etiam e veteribus partem aliquam Dionyſio Palatino auctore decerpſerit. Fœda Patris avaritia incredibile quantum exulceratus fuerit Belæ Regis animus, eoque proceſſere odia, ut legitimam conjugem, cujus biennio jam convictu utebatur, ſive Patri ſuo ægre facturus, ſive alia de cauſa Aula ejecerit. Recepit quidem eam paulo poſt admonitus ab Honorio III. Pontifice; at hoc rurſum facto in tam atroces Andream egit furias, ut gravius quid declinaturus ad Leopoldum Auſtriæ Ducem cum conjuge, familiaribusque ſuis ſe ſubduxerit. Ægre demum Pontificis Antiſtitumque opera conciliata pace mitior factus Andreas, omnem ultra tibiſcum Regionem Belæ juribus attribuit, ex quo tempore obſequentiſſimum ſibi deinceps filium habuit.

ANDREAS II.

ANDREAS II.

Quæ religionis Christianæ detrimenta & unde enata?

VII. Per idem tempus execranda peſtis, in florentem diu Eccleſiam Hungaricam graſſari cepit, cujus incrementa haud ſcio an alteri, quam Andreæ Regis ſocordiæ tribuenda ſint. Judæi, Ismaelitæ, Saraceni viliſſimum hominum genus, contra quam ſolenni illo decreto cautum fuerat, quod corradendis pecuniis aptiſſimi viderentur, rem monetariam, ſalinas, vectigalia, cæteraque Camerarum munera curabant, non ingenti modo rei publicæ, verum etiam Chriſtianæ detrimento. His, quod divitiis præpollerent, præter conjuges easque Chriſtianas ingentem concubinarum, quas egeſtas eo præcipites egerat, numerum alere in more fuit: quas ad fidem ejurandam nullo ſubinde negotio adduxere. Præterea Chriſtiani parentes, cum ad pendenda vectigalia ære omni deſtitutos ſe videbant, filios filiasque turpiſſimis hominibus venundabant ſuperſtitionibus dominorum imbuendas. Nec deerant, qui ut gratia avaræ gentis lucri quidpiam facerent, ultro ſe circumcidendos offerrent. Quo factum, ut paucis annis multa Chriſtianorum millia

a Chriſti fide diſceſſerint. A) Nemo erat qui pro domo Dei murum ſe auderet opponere : Antiſtitum auctoritas tantum non proſtrata jacuit. Dionyſius Palàtinus, Nicolaus Tavernicus, & Samuel Cameræ Comes fovebant nequiſſimos homines ob privata, quæ ab eis liberaliter accipiebant lucra : Regi autem plane perſuaſerant, a nemine Chriſtianorum res Camerarum tantis cum emolumentis adminiſtrari poſſe : hinc evenire neceſſe fuit, ut Antiſtitum, & proborum virorum ea de re querimonias ſurda exciperet aure Andreas. Illud etiam non leve ad ruinam religionis attulit momentum, quod ſapientiſſime a Deceſſoribus Regibus inſtituta tribunalia ſacra prope ſublata erant; cauſæ dotis, matrimonii aliæque ſive jure, ſive patria conſuetudine eo ſpectantes ad profana fora fuere traducta, cumque ea propter ſemet moverent

ANDREAS II.

A) Si cui incredibilia viderentur, quæ attulimus, conſulat Pontificum, & Roberti Archi-Epiſcopi literas ad An. MCCXXIX. & ſequentes, in Annal. Reg. Hung.

ANDREAS II. Antiſtites, Palatini inſtigatione bona Eccleſiaſtica exaggeratis vectigalibus vexari, diminui, quin & diripi cepere. Tantam jurium ſacrorum convulſionem non amplius ferens Robertus Strigonienſis Archi-Epiſcopus, ubi ſemel ac iterum Regis æquitatem nec quidquam imploraſſet, univerſæ Hungariæ ſacris interdixit: nominatim autem a conſortio fidelium reſecuit Dionyſium Palatinum calamitatum fontem præcipuum, tum Nicolaum Tavernicum, & Samuelem Cameræ Comitem circumciſorum protectores. Harum pœnarum ſtrepitu, ac imprimis Roberti Archi-Epiſcopi adhortationibus quaſi e ſomno excitatus Andreas, cum mala paulo ulterius atque ipſe ſibi ante perſuaſerat, progreſſa oculis prope intueretur, Jacobum Præneſtinum Sedis Apoſtolicæ Legatum ſibi a Pontifice Gregorio IX. mitti poſtulavit, cujus conſilio & opera ad evellenda radicitus mala uteretur. Itaque calamitatum cauſis diligenter examinatis, quæ religioni, communique ſaluti adverſarentur, in certa capita fuere digeſta, ad quæ obſervanda non modo Andreas Rex, ve-

rum

rum & Bela cum Colomano Sclavoniæ Duce ſolenni jure-jurando fidem ſuam obligaverant. A) At enim pulcherrima ea promiſſa arduum fuit effectu complere, quod circumciſi ad eam pertigere potentiam, ut inde haud ita facile poſſent dejici: nec deerant peſſimi reipublicæ adminiſtri, quorum conniventia novis in dies incrementis augebantur ſcelera, quæ poſtea Divina Nemeſis immiſſis in Hungariam Tartaris ſeveriſſime caſtigavit.

ANDREAS II.

Quot moriens proles reliquit?

VIII. Communibus his reipublicæ calamitatibus immortuus denique fuit Andreas An. Ch. MCCXXXV. Varadini ad pedes D. Ladislai ſepultus, perpetuis jactatus procellis, ac ſemper cum egeſtate colluctans, fortaſſe, quod artibus præpoſteris cum inſigni tot animarum exitio ærario ſuo augendo ſtuduerit: in eo infeliciſſimus, quod

A) Hac jurisjurandi Religione pœnisque ſacris in transgreſſores latis ſe ſuosque ſubinde Bela Rex per Pontificem ſolvi impetravit, ſponte id ſua, quod Divinæ humanæque leges exigerent, facturus Ann. Reg. ad An. MCCXXXVIII.

ANDREAS II. peſſimorum hominum conſiliis uteretur: fortunatior Pater quam Rex, complures ſanctimonia illuſtres e tribus continenter conjugibus ſuſcepit proles. Ex Gertrude: I. Belam IV. hujus nominis Regem. II. Colomanum, qui Halicia ejectus, toti Sclavoniæ Ducis nomine præfuit, a ſervata una cum conjuge Salomea continentia clarus. III. Andream, qui amiſſa Armeniæ Reginæ Regnique potiundi ſpe, Venetiis poſtea ſe collocavit, atque ex prædivite conjuge Marcum nomine filium habuit, a quo nobiliſſima Croyorum Ducum familia originem trahere memoratur. IV. S. Eliſabetham Ludovici Thuringiæ Landgravii conjugem ſanctimonia & prodigiis claram. V. Mariam Aſani Bulgariæ Regi collocatam. Ex altera conſorte Jole cognominem filiam unicam Jacobo Arragonum Regi traditam. Tertiam denique provecta jam ætate ſibi copulavit Beatricem Eſtenſis Marchionis Aldrovandini filiam, quæ gravida relicta, quod infra Reginæ dignitatem a Privigno ſuo Bela haberetur, ad ſuos rediit, Stephanumque poſthumum enixa fuit: hic cum

ex

ANDREAS II.

ex Hungaria nihil opis obtineret, Romanorum Pontificum liberalitate eductus, A) Thomaſinam nobiliſſimo Maurocenorum genere ortam conjugem accepit Venetiis, genuitque Andream III. hoc nomine Hungariæ Regem e ſtirpe domeſtica poſtremum.

BELA IV.
REX XX.
A. C. MCCXXXV.

BELA IV.

I.

Quam ſapienter communia reipublicæ vulnera curata?

PEracta funeratione continuo Albam Regiam Optimates convocati, repetitaque inaugurationum ſolemnia pridie idus Octobris. Ut primum a ſuis fidei Sacramentum accepit Bela, protinus cunctos in jus vocavit, qui ſe inter ac Patrem diſſidia maligne ſeviſſent, nefariisque conſiliis ſuis non Aulam modo, verum etiam rempu-

blicam

A) Vide ſpecimen Herald. Hungar. pag. 10. nota k.

BELA IV. blicam omnem perturbaſſent. Convicti de crimine, exilio alii: alii carcere mulctati, nec pauci e præcipuis Regni magiſtratibus dejecti; Palatino autem effoſſus uterque oculus. Ab hac ſeveritate ad tollendas communium calamitatum radices totus incubuit: Ismaelitas, Saracenos & Judæos plurimorum malorum auctores omni munerum publicorum adminiſtratione privatos, perpetuæ addixit ſervituti. Aulæ deinde majeſtatem conciliaturus, præter Antiſtites majoresque Regni Barones, vetuit quemquam ſe coram conſidere, cæterorum ſellis concremari juſſis. Ad negotia expeditius diligentiusque tractanda, morem Belæ III. Avi ſui prope abolitum in uſum revocavit, precum miniſtris conſtitutis. Animadverterat ſcilicet, ab Andrea Patre ſuo multa perperam contra fas & æquum pronunciata fuiſſe, quod petitionibus, quæ ſibi minus ſincere interdum propoſitæ fuere, non ſatis examinatis, in fraudem inductus fuiſſet: hac quippe via non pauca Eccleſiarum, proborum Patriæ civium, ac etiam coronæ bona aliorum ignarus tranſcripſerat rapaci-

tati.

BELA IV.

tati. In ærarii vero rationibus inſtaurandis multo ille aliam ſecutus viam, primum Regis peculia ex alienis vindicavit manibus, tum duas vectigalium e comitatibus ſingulis partes citra diminutionem ſibi pendi voluit, quæ Andreæ Regis incuria, in Comitum magiſtratuumque jura tranſierant. Sic ille ſolertia ſua brevi tempore aliam Hungariæ reſtituit faciem. A)

Quantopere alienati a Rege nonnullorum animi?

II. Verum hæc ipſa ſumma cum ſapientia, & æquitate ad communem reipublicæ felicitatem inſtituta, graviſſimam ei conflavere invidiam apud eos, qui, cum vivente Andrea, ipſi pro libidine miſcerent omnia, nunc cupiditates ſuas in arctum concluſas ſentiebant acerbius. Cum nulla vindictæ domi ſumendæ appareret ratio, miſſis clam ad Fridericum Auſtriæ Ducem nunciis, hominem ſpe Regni complent, ac ad Hungariam invadendam invitant, ſua ſe con-

A) M. Thurotzius P. II. capite LXXIV. M. Rogerius in carmine miſerabili cap. IV. V. & X. ſcript. Hung. Tomo I. edit. Tyrnavienſis.

BELA IV. continuo juncturos arma polliciti; quibus haud dubie Bela opprimendus, ſolioque eſſet dejiciendus. Nil moratus Fridericus XXX. millibus inſtructus Hungariam ſubit, cumque neminem contra atque conventum fuit, conjuratorum adeſſe videret, vicinis, locis vaſtitatem infert; at enim caro id ei ſtetit poſtea: Bela enim tempori conſilia omnia edoctus, comprehenſis mature perfidis, ſui ſecurus Fridericum adoritur, victumque a tergo inſecutus, non prius Auſtriam populari deſtitit; quam ille multo illata prius damna auro redemiſſet. Bello feliciter propulſato, ſumtum de conjuratis ſupplicium: qua ſeveritate incredibile, quantum ſuorum a ſe animos averterit, Regem ſuum verentium potius, quam ſincera voluntate amantium. A)

Quomodo accepti in Hungariam Cumani?

III. Sub ea tempora cum Tartari regione ad Tanaim evaſtata terrorem ad Boriſthenem

---

A) Idem cap. IX. Pernoldus ad Ann. Chr. MCCXXXVI.

nem usque ſpargerent, Cumani ſaluti ſuæ conſulturi, miſere nuncios ad Belam, cujus propenſa in ſe ſtudia experti fuerant, dum vivente Andrea rerum in Tranſilvania potiretur, A) orantes, aliquam ut ſibi in Hungaria colendam cederet regionem; viciſſim polliciti, ſe Chriſti fidem complexuros. Gratiſſima fuit ea legatio Regi, cum ob pulcherrimam religionis propagandæ ſpem; tum quod tantæ gentis acceſſione vires ſuas non parum auctum iri putaret, annuitque poſtulatis quam libentiſſime. Quapropter maxima eorum, qui in Transalpinis adhuc reſtiterant, Cumanorum pars, una cum Rege ſuo Kutheno, conjugibus, liberis, totaque ſupellectile in Hungariam tranſiit, per plagas Peſtienſi Provinciæ conterminas, ubi Cumaniam minorem BELA IV.

A) Multum ſane Roberti Strigonienſis Archi-Epiſcopi opera egerat tum Bela, ut Chriſti fides apud eam gentem reciperetur, hunc in finem Epiſcopatum ſuis erexit impendiis, rem Chriſtianam iis in locis hac quaſi arce firmaturus. An. Reg. Hung. ad An. MCCXXVII.

BELA IV. norem collocamus, diſtributa. A) Novos hoſpites ſingulari clementia & humanitate complexus Bela, brevi ſibi religionique conciliavit; ut non multo poſt Kuthenus cum familia omni, tribuumque capitibus Chriſto nomen dederit. Reliqui paulo diutius Operariorum Evangelicorum conatus luſere, inveterata ſuperſtitionum vitiorumve conſuetudine eos a legis novæ rigore abſtrahente. Quin nonnulli Regis Belæ benevolentia abuſi, eo temeritatis proceſſere, ut non modo rapinas in Hungarorum bonis velut in hoſtico agere, verum etiam cædibus graſſari non pertimeſcerent. Quæ res in novam rurſum Belam ſuis haud ſatis charum adduxit invidiam, quaſi novos hoſpites præ Hungaris diligeret, eorumque flagitiis connivendo, malis omnibus fontem aperiret. Verum brevi querelis cauſam præcidit: etſi enim nihil in eos gravius tum quidem ſtatuerit, ne tamen porro quidpiam moliri auderent, ſingulas eorum familias per diverſas Regni provincias ſeorſim

A) Vide Hung. Vet. pag. 43.

BIBLIOTECA DE DREPT CLUJ

ſim diſtribuit, Judicibus ubique conſtitutis, qui Hungaris, ſi a Cumanorum quoquam maleficio affecti fuiſſent, juſtitiam impenderent.

Qua tempeſtate in Hungariam irrupere Tartari?

IV. Coercita Cumanorum audacia, ut nihil ab eis amplius eſſe videretur periculi, fatalis illa toti Hungariæ procella coorta eſt: Tartari ſive ſponte ſua, ſive, ut ſuſpicio multorum fuit, Cumanorum invitatione exciti, Ruſſiam, Poloniam, Sileſiam torrentis inſtar pervagati, vicinam Hungariæ tempeſtatem minitabantur, quam ut Rex averteret, Palatinum cum copiis montium, qua e Polonia Tranſylvaniæ contermina in Hungariam iter, fauces occupare jubet: ipſe vero pro diſcriminis gravitate ſollicite cohortes legebat, monebatque Optimates, donec remotior erat hoſtis, cuncta bello neceſſaria ſedulo compararent, ſigna ſua ocius Peſtinum deducerent, ubi Regiæ legiones caſtra metatæ ſunt. Verum tanta multorum animos fiducia & ſecuritas inceſſerat, ut apparatus eos riſu exciperent, crederentque ſparſam de induſtria

T Tar-

BELA IV. Tartaricæ irruptionis famam per Epiſcopos, quo ſpecioſam obtenderent cauſam, cur ad Concilium generale Romam, quo crebris evocabantur a Cæleſtino IV. Pontifice nunciis, convenire ipſi non poſſent. At poſtquam Palatini copias internecione deletas, Tartarosque jam in Hungaria circumvolare certo compertum fuit, mox ſoluto conventu, Proceres domum feſtinare, arma parare, militemque pro more conſcribere, exiguo ſane operæ pretio; multæ enim cohortes ſeorſim ad caſtra tendentes a Tartaris, qui vias omnes interea occupaverant, conciſæ ſunt, ut adeo pauci e Tibiſcana Regione ſalvi ad Regem pervenerint: Ex aliis provinciis ut in tanta rerum perturbatione voto & expectatione pauciores aderant. Fridericus e vicina Hungaria Auſtriæ ſuæ metuens, juſtas tempori ſuppetias attulit. Neque tamen vires Belæ Regis tanto bello propulſando pares fuere; Tartaris enim per ſe numeroſis Cumani ſemet conjunxerant, vindictæ ſtudio accenſi, poſtquam Kuthenum Regem Peſtini in domo ſua cum conjuge ac prolibus agentem,

ab

ab Hungaris, Theutonicisque irritatis, cru-delem in modum obtruncatum accepere; ab eo quippe evocatos in Hungariam Tartaros vulgus ſibi perſuaſerat. a)

BELA IV.

V. Sic dum bellum ſegnius, quam periculi magnitudo poſtularet, apparatur, Tartari vaſtata omni regione, ad Peſtum usque procurrere. Bela utcunque ſe ad retundendos hoſtium impetus inſtructum ratus, ſublatis ſignis profectionem ſuis indicit, Barbaros ad prælium coacturus; at illi ſimulato metu, pugna ubique detrectata, cedebant retro, Hungaros, ut poſtea patuit, inſidiis concluſuri. Ad Sayonem denique in adverſis fluminis ripis uterque conſtitit exercitus. Hungari caſtra ſua, quo facilius communiri poſſent, in anguſtius, quam militares poſtularent leges, ſpatium contraxere. Bela Rex cum Colomano fratre Regnique Principibus ſingulos circumiens ordines, monebat, pro aris & focis dimicarent fortiter, nihilque de victoria,

Quam inique pugnatum ad Sayonem?

a) Rogerius cap. XXIV. XXV. & XXVI.

BELA IV. ria, ſi modo ex ritu militari fierent omnia, dubitarent. Interea Tartari caſtrorum poſitum accurate ſpeculati, nocte concubia in Hungaros irrumpunt; ſed Colomani Ducis prudentia & fortitudine non ſine multa cæde ſunt rejecti. Eo ſucceſſu animati Hungari, quaſi protrita jam eſſet hoſtium audacia, quieti ſe dederant, feſſa certamine corpora refecturi; quod conſpicati Barbari, ſub diluculum inſtaurata aggreſſione nil tale opinantes adorti ſunt tanta pertinacia; ut denique loco cedere compulerint: tum enim vero ſumma pernicitate caſtris circumfuſi, opportunis locis incendia ſpargunt, Hungaroſque nondum ſibi ſatis e ſomno redditos, ac præterea cum loci anguſtiis colluctantes impune cædunt, plures in ſervitutem morte ipſa duriorem redigunt. Cecidere eo prælio præter illuſtres e profana republica viros, Mathias Strigonienſis, Ugolinus Colocenſis Archi Epiſcopi, Georgius Jaurinenſis, Raynoldus Tranſilvanienſis, Adamus Nitrienſis Epiſcopi, ex quorum interitu de cladis magnitudine conjectura capi poteſt. Centum millia eo prælio,

lio, & die qui conſecutus eſt, interfecta memorantur. Colomanus gravi accepto vulnere ſaucius, via Peſtienſi elapſus, haud multo poſt in Croatia animam egit, in Cosmen apud FF. Prædicatores occulto loco, ne ſcrutantibus ſepulchra Tartaris, ludibrio pateret, tumulatus.

BELA IV.

VI. Bela ſingulari Numinis providentia ſervatus, quo hoſtes ſuæ imminentes ſaluti falleret, in ſuperiorem Hungariam atque inde Thuroczium ſe recepit: in Arce Znio aliquamdiu commoratus, cum nihil e vicina Polonia auxilii ſibi fore cerneret, ſatius exiſtimavit in Dalmatiam, quo Reginam conjugem liberosque ante dimiſerat, proficiſci, ubi & legendi novi militis, & ſuppetiarum a Rhodiis equitibus ſpes non modica affulgebat. Itaque mutato conſilio, ære theſauroque raptim convaſato Poſonium, tum Viennam deflexit. Benevole primum accepit exulem Fridericus Dux; at poſtea, non prius abire ſivit, quam is omni quod habebat auro Regiæque conjugis mundo muliebri conſignatis, finiti-

Quid inde calamitatis conſecutum?

BELA IV. mas pariter aliquot Hungariæ urbes Duci cederet. Sic unico, quod fugitivo eſſe poterat, adminiculo ſpoliatus Bela, in Dalmatiam ægre demum pervenit. Verum inſtabant fugienti Tartari, quorum ut impetum eluderet, Regina cum liberis ad remotiores inſulas deportata, ipſe quoque navigium conſcendit, frementibus, & prædam ſibi elapſam dolentibus hoſtibus. Quare omiſſa Regis potiundi ſpe in Hungariam partem maximam reverſi ſunt, ſocios in evaſtanda pulcherrima regione adjuturi. Nemo eſt, qui ſine lachrimis ea legere poſſit, quæ de inaudito Barbarorum furore a fide dignis ſcriptoribus memoriæ poſterorum commendata ſunt. A) Incredibili celeritate quaquaverſum diffuſi, caſtella, vicos, & oppida avare direpta incendiis delevere, incolis partim cæſis, partim præciſis fœde nari-

A) Vide miſerabile carmen M. Rogerii qui tragœdiæ toti intererat, atque Pariſii Hiſtor. Anglic. Unde quæpiam relata ſunt in Annal. Reg. Hung. ad An. Chr. MCCXLII. Item Thomam Archidiaconum Spalatenſem.

naribus ſervituti addictis; non ætati, non ſexui, non dignitati parſum. Ne autem, qui remotius degebant, interea aut fuga ſibi conſulere, aut ad vim ſuſtinendam ſe comparare poſſent, Belæ Regis nomine literas dictant Barbari, & quaqua verſus ſpargunt, queis ſecuri eſſe jubebantur Hungari de affuturo propediem auxilio, hoſtibusque in inſidias præcipitandis. Valuit crudelis dolus apud multos, præcipue potentiores otio luxuique deditos, qui ſubinde epulas inter a Barbaris oppreſſi, credulitatis ſuæ pœnas dedere. Multæ tum nobiliſſimæ familiæ exciſæ, multa virorum fœminarumque millia in ſervitutem abducta, publica æque ac privata ingenti poſterorum damno tabularia cremata, præda vero tam ſagaciter quæſita, & avare ablata, ut nil omnino, ne cryptæ quidem cui aliquid inerat pretii, reliquum fieret. Hunc in modum biennio toto harpyarum inſtar fœdabant Tartari Hungariam fere omnem, ſi Albam Regiam firmis jam tum circumdatam mœnibus, ſacrum Pannoniæ montem, Strigonienſem, paucasque editiore in

BELA IV. loco poſitas arces demas. Nemo Chriſtianorum Principum laboranti Hungariæ opem tulit: A) ut adeo exſpectandum fuerit, dum Barbari ipſi inde ſponte ſua excederent. Cum enim nihil amplius in exhauſta reperirent Regione, unde tot millium fames expleri poſſet, atque inſuper gentis ſuæ Regem in Aſia cæſum accepiſſent, reditum maturarunt. In exitu inſigne crudelitatis documentum editum fuit: immanem illam captivorum turbam in tanta annonæ penuria oneri ſibi fore arbitrati, jubent eos quibus domum redire animus eſſet, in deſtinatum ſecedere locum: cumque pleroſque patrii ſoli dulcedo eo impuliſſet; ſigno dato ab irruentibus barbaris iner-

A) Friderici Imperatoris auxilium imploraverat Bela, fiduciarioque nomine Hungariam Romano Imperio obtulit, ſi ejus opera hoſtis inde ejiceretur: at Fridericus quod ſplendida ea promiſſa a Rege exule citra Regni ſcitum facta parum firma fore prævideret, ſive alia de cauſa, communem eam Hungarorum calamitatem ſpectavit otioſus, Hungariamque libertatis ſuæ ex pacto amittendæ metu liberavit. Vide Annal. Reg. ad An. MCCXLV.

inermes trucidati ſunt, id quod ſæpe alias per ludum agere in more habuerunt.

BELA IV.

VII. Cognito Tartarorum diſceſſu, e Dalmatia, inſignibus ob fidem ſibi exuli ſervatam privilegiis exculta, diſcedens Bela, cum Rhodiorum equitum, & Comitum de Frangepan cohortibus Hungariam incolis pene vacuam ſubiit. Miſerabile fuit intueri, altiſſimis obducta herbis viarum veſtigia, jacentes ſquallore agros, ſtruibusque humanorum oſſium albentes, prominentes ex Eccleſiarum ruinis nudatas verticibus turres, ſummam adhæc ubique ſolitudinem feraleque ſilentium. Prodiere quidem haud multo poſt ſuis e cavernis ſaltibusque remotiſſimis, qui Barbarorum iras evaſerant; at his non minore cum hoſte brevi colluctandum fuit: horrida ubique regnabat fames, quod nulla ſementis biennio terræ credita, ac ſi quid forte enatum, immenſæ locuſtarum nubes abſumpſerant. Neque pecus ullum ſupererat, ut adeo humana taboque manantia cadavera vœnum proſtrarent, extremam

Squallor per Tartaros inductus quibus adminiculis abſterſus?

BELA IV. levatura famem. Luporum interea temporis eum in modum numerus & ferocia creverat, ut in armatos etiam impetum facere, infantes matrum e ſinu abripere non vererentur. Tantis malis proſpecturus Rex magnam mox annonæ vim e vicinis provinciis convehi, pecorumque multitudinem adduci juſſit. Sedata fame, curas poſtea cogitationesque intendit Patris inſtar ſolliciti ad Hungariam abſterſo ſquallore, flori priſtino reſtituendam. A ſacris inſtaurandis, Numineque propitiando orſus fuit: quod nil dubitaret, graviſſimas eas calamitates ab æquiſſimo vindice inductas fuiſſe ad caſtiganda gentis univerſæ crimina: A) id quod publicis non erubuit confiteri literis. Igitur cæſis per Tartaros Antiſtitibus novi continuo ſuffecti; B) reparatæ mox ædes

A) Incredibilem morum corruptionem, qua ætas ſexusve omnis in Hungaria laborabat, pluribus deſcribit Thomas Archidiaconus Hiſtoriæ Salonitanæ cap. XXVII. & XXXVII.

B) Perturbatis hac occaſione rebus quarumpiam Eccleſiarum Canonici ſuo arbitrio ſibi Præſules legere

ædes ſacræ, ſuus aris honos reſtitutus, veteribus cænobiis nova magno numero addita, præcipue D. Franciſci filiorum ac D. Claræ ſororum, quæ per orationes ſuas præſidii inſtar oppidis & civitatibus eſſent. Ad augendam poſtea communiendamque Hungariam converſus, tot millium hominum jacturam novis e Croatia, Bohemia, Moravia, Saxonia eo deductis coloniis non mediocriter reparavit. Cum autem animadvertiſſet, editioribus locis excitatas arces, aut mœnibus vallatas urbes barbarorum riſiſſe impetum, pluribus oppidis muros circumdari juſſit, A) nec paucas præruptis

re occeperant, de quo admonitus Pontifex Innocentius IV. datis ad Clerum Hungariæ literis vetuit jus Regium in libera Prælatorum lectione „ antiqua „ *ut ait*, & approbata Regni conſuetudine pacifice „ ad id temporis obſervatum a quoquam violari. „ Vide Epiſc. Agrienſ. pag. 162.

A) Ad hæc tempora plurium, ac nominatim Tyrnavienſis, ubi hæc ſcribimus, civitatis initia referenda ſunt. Ubi hodie D. Claræ ſororum Aſceterium, arx eminebat vicinis oppidis pagisque imperitans, quæ dotis nomine tradita fuit Conſtantiæ Otto-

BELA IV. ruptis in montibus arces collocavit, idemque ut non modo Dynaſtæ potentiores, verum etiam Epiſcopi ſinguli ſuis in Diœceſibus facerent A) pro communi bono coegit. Atque huic ſua debet incunabula nova Budenſis arx, quæ quod non firmo minus, quam jucundo eſſet poſitu, reliquis poſt Belam Regibus gratiſſimum præbuit hoſpitium. B) His adminiculis factum, ut

Ottocari Bohemiæ Regis conjugi a Parente Bela III. Hungariæ Rege. Bela IV. perſoluto ære, vindicatis cum arce bonis, quod opportuno eſſet ſitu Tyrnavia, novis eo deductis Coloniis urbem condidit, mœnibus vallavit, privilegiis roboravit. Bela IV. eam Villæ, Stephanus V. Civitatis nomine compellat in promtu ſunt diplomata, queis dicta ad liquidum demonſtrentur.

A) Cum in locis reſidentiarum ſuarum communiendis, aut arcibus ſtruendis, Eccleſiarum Prælati ſegniores eſſent, Innocentius IV. Pontifex gravibus literis ad Metropolitas datis ſingulos hortatus eſt, ad gerendum ea in re morem provido futurorum Regi, Vide literas in Epiſc. Agrien. pag. 164.

B) Novam Budam a Præpoſiti Budenſis juribus exemit Ludovicus M. Rex, colereque diligentius cepit:

ut melior Hungariæ facies rediret ſenſim immortali Belæ novi Conditoris ſui gloria. BELA IV.

VIII. Non parum ad frequentiam populi procurandam contulere Cumani, qui diſcedentibus Tartaris, in Hungaria reſtiterant. Hos Bela nequid deinceps auderent, certis limitibus legibusque circumſcripſit. Univerſa gens, quæ per exhauſtum Regnum ut cuique libuit, ſparſa tum fuerat, in octo Regiones pro tribuum totidem numero diſtributa cis & ultra tibiſcum, ſublata eis Principem ſibi eligendi poteſtate, primus omnium Cumanorum ſe Regem appellavit Bela. A) Palatinus Comes Jazygibus

Quomodo redacti in ordinem Cumani?

cepit: Sigismundus elegantiſſimis auxit ædibus: Mathias Corvinus novo Palatio Regio, Bibliotheca, aliisque ædificiis publicis ad ſummum ſplendoris gradum evexit. Cuncta hæc ornamenta nobiliſſimæ urbi ſervitus Ottomanica eripuit; at poſtliminio ſibi ſacræque Coronæ reddita non modo luctum exuit, verum etiam ad veterem aſſurgit ſplendorem, ædesque Regias Auguſtæ Mariæ Thereſiæ Reginæ Apoſt. auſpiciis excitatas oſtentant veteribus æmulas.

A) In diplomatibus poſt cladem Tartaricam hoc utitur

BELA IV. gibus æque ac Cumanis omnibus Judex datus, qui rem civilem & militarem apud eos procuraret. Demum quo homines iis rerum rationibus ſibi metuendos arctius coronæ ſuæ adſtringeret, Stephano filio Cumanam Virginem Eliſabetham corporis animique dotibus eo faſtigio haud indignam deſpondit.

Quo jure Stiriæ poſſeſſionem adiere Hungari?

IX. Ab his curis ad recuperandos ditionum fines, qui Tartaricæ populationis tempore ab Hungaria fuere avulſi, progreſſus Rex, Fridericum Auſtriæ Ducem de reſtituendis, quas tum abſtulerat, civitatibus admonuit, negantemque ſe id facturum bello appetivit: pugnatum ad Neoſtadium Auſtriæ urbem: quo in prælio Fridericus victoriam vitamque perdidit. Cum vero mare careret, univerſa ejus ditio ad Margaretam ſororem, Henrici Romanorum Regis viduam, & filiam Gertrudem haud

utitur titulo: Bela Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Gallitiæ, Lodomeriæ, Cumaniæque Rex.

BELA IV.

haud ita pridem viro ſuo Uladislao Misniæ Duce orbatam devoluta fuit. Auſtriaci a Venceslao I. Bohemiæ Rege multo corrupti auro in ejus filium Ottocarum conſpiravere, effecereque, ut is Margareta XLVII. tum annos nata, planeque ab omni conjugio abhorrente ſibi conjuncta, ſine mora Auſtriæ poſſeſſionem adiret: Stiri contra Stephanum Belæ Regis filium ſibi Ducem legere, Gertrude non modo conſentiente, verum etiam jura ſua omnia in Stephanum transferente. Bela quo adoleſcenti viduæ, nuptiarumque appetentiſſimæ aliquam referret gratiam, Romanum nomine Danielis Ruſſiæ reguli filium maritum dedit, novæ conjugis jura in Auſtriam contra Ottocarum Hungarorum ope repetiturum, quæ pactio difficili diuturnoque Belam ejusque ſucceſſores bello cum Ottocaro involvit.

Quibus artibus inde ejecti?

X. Ottocarus tantum abeſt, ut Auſtriam Gertrudi cedere in animum induceret, ut etiam Stiriam ſibi a Stephano reddi poſtularit. Geſtum ea propter annis aliquot bellum pax Innocentii IV. Pontificis

opera

BELA IV. opera conciliata excepit, qua Stiriæ poſſeſſio Stephano adjudicata. Verum Ottocarus occultis largitionibus adeo Stirorum animos a Stephano ſubinde abduxit, ut conjuratione inita, brevi temporis ſpatio Hungaros inde ejecerint. Bela eam jacturam ulturus, magnis viribus animisque bellum integravit: proſpera diu initia ſpem illi non modicam recuperandæ provinciæ obtulerant; verum in poſtremo ad Hamburgum Auſtriæ civitatem conflictu inſigni cum clade rejectus, ad pacis conſilia flexit animum. Ottocaro Stiria omnis conceſſa Stephani ingratiis: ac ut firmior eſſet amicitia, Bela ſecundo genitus Regis filius Sclavoniæ Dux, Ottonis Brandeburgici ex Ottocari Sorore filiam ſibi deſpondit Uxorem: Ottocarus vero, repudiata, incertum qua de cauſa, Margareta Anu, Belæ Regis ex Anna filia neptem Cunegundem.

Unde Belam inter Regem & filium Stephanum odia?

XL. Pacem eam non multo poſt graviſſima Patrem inter ac filium Stephanum diſſidia conſecuta ſunt; in quo æquiſſima Divini Numinis eluxit ultio, Belam ſuo

olim

olim Patri Andreæ II. minus obſequentem conſimili pene malo plectentis. Dudum jam ante Regio diademate inſignitum Stephanum Tranſilvanis & Cumanis Ducis titulo præfecerat. Is ſive Patris in cedenda Ottocaro Stiria facilitate offenſus, ſeu quavis alia de cauſa incitatus novas Aulæ ſuæ ſat frequentis A) uſibus addi poſtulavit ditiones, quæ Stiriæ jacturam compenſent. Bela quod profuſo ad reparandas Hungariæ ruinas multo auro, minime abundaret, ac ad cæteras impenſas copioſam ſobolem haberet alendam, etſi vellet, filii cupiditati ſine rerum ſuarum detrimento ſatisfacere nequibat. Ea negatio adeo male accepta fuit BELA IV.

A) Recenſentur in tabulis concordiæ Stephani Aulæ Barones: „ Smaragdo Colocenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopo Aulæ noſtræ Cancellario, Dionyſio „ Palatino Comite Baachienſi, Laurentio Magiſtro „ Tavernicorum noſtrorum Bano de Zeurinio, Ladislao Vayvoda Tranſilvano, Comite de Zounuk, „ Magiſtro Bach Judice Curiæ noſtræ, Comite Sirmienſi, Stephano Magiſtro Dapiferorum noſtrorum, Dominico Magiſtro Pincernarum noſtrorum. „ Vide Annal. Reg. ad An. Ch. MCCLXII.

BELA IV. a Stephano, ut continuo officii immemor odia in Patrem conciperet, quæ poſtea nequiſſimi homines ſtudioſe alere augereque noverant. A vi aperta abſtinuit aliquamdiu, propterea, quod etſi vaſtis præeſſet terrarum tractibus, paucos tamen pro ſoli amplitudine incolas numeraret, e quibus militem bello ſuffecturum conſcriberet. Huic incommodo ut mederetur, Hungaros, Slavos, Teutones, Bohemos aliosque Patris juribus obnoxios populos magnis pollicitationibus ad ſe clam invitabat; quod quia opinione ſua lentius procederet, Polonos Ruthenosque in turpiſſimi belli ſocietatem evocare adniſus fuit. Bela quem ea filii conſilia minime latebant, Lithvanos gentiles tum adhuc fœderibus ſibi conciliatos, ut primum Ruſſi Polonive Stephano ſe conjunxiſſent, in eorum ditiones juſſit irrumpere, tum collecto e ſuis exercitu, ad Tibiſcum properavit, armatum filium armatus ipſe ad officium revocaturus.

XII.

BELA IV.

Quomodo reſtincta?

XII. Poſt collata ſæpius vario marte ſigna, A) Stephanus extrema quævis tentare certus, omnes pene ditionis ſuæ populos in unum contraxit, decretorio marte rem cum Patre terminaturus. Stabant mutuo in conſpectu bini exercitus, claſſicum expectantes: cum ſubito Stephanus criminis, quo ſe obſtringebat, gravitate ac turpitudine commotus, ferociam ponere, præterita damnare conſilia, novaque filio digna agitare: & quoniam Patris ſui propenſiſſimum alias in ſe animum optime perſpectum habebat, concepta de illius facilitate fiducia, nemine comite in adverſa delatus caſtra, patriis pedibus ſe ſiſtit ſupplex, petitaque admiſſi ſceleris venia, totum ſe deinceps in ejus poteſtate fore confitetur. Ea filii pœnitentia fiduciaque ſingulari delectatus nimiopere Bela, condo-

U 2 nata

A) Prælium commiſſum ad caſtrum Fekete-viz docent literæ donationis factæ Magiſtro Pous An. MCCLXVII. quas nobiſcum communicavit P. Stephanus Szentivány e S. J. aliud item ad Uſvaſzeg initum eruitur e literis anno inſequente datis. Vide Palat. Hung. pag. 46.

BELA IV. ac ſubinde Belæ Ducis Illyricum moderantis præſentia.

Quam inſignis de Tartaris relata victoria?

XIV. Hunc in modum ubi priſtinus Hungariæ ſplendor, opes ac majeſtas redire ceperant, Tartaros repetendæ vaſtationis cupiditas inceſſerat. Chamus barbarorum per legatos filio ſuo conjugem unam e Belæ Regis filiabus arroganter petebat, bellum, niſi id fieret, comminatus: turpem affinitatem deteſtatus Rex, nec vires nec animum ad propulſandam vim ſibi defore intrepide reſpondit. Quievere tum quidem Tartari, ſeu quo ad novam expeditionem ſe amplius compararent, ſive ut facilius poſtea ſui ſecuros Hungaros opprimerent: biennio autem elapſo, corrupta cædibus & incendiis Polonia, pari atque olim furore Hungariam inundavere. Bela ante jam de eorum adventu commonefactus continuo militari diſciplina probe inſtructas opponit copias, & quamvis numero barbaris multo eſſet inferior, Divina ope confiſus prælium init, inſignique potitur victoria: Tartari L. ſuorum millibus deſide-

ſideratis, divite præda, caſtris impedimentisque omnibus exuti, non ſine ignominia ex Hungaria exceſſere: adeo nempe plus in Numinis auxilio, quam copiarum robore collocandum eſt fiduciæ. BELA IV.

XV. Æquum ſane fuit, ut cælum piiſſimo Regi opitularetur, quod is non minore ſtudio in religionis, quam Regni ſui incrementa intenderet. Illius hortatibus Aſanes Bulgarorum Rex ad ſedis Apoſtolicæ obſequium redierat. Illius conſilio Vatazius Græcorum Imperator ad fidei unionem applicuit animum. Illius curis multa Valachorum in Tranſalpinis, multa item Cumanorum in Hungaria millia veræ fidei lumen accepere. Illius munificentiæ ſuos ſin minus natales, certe incrementa debet Sirmienſis & Bosnenſis Eccleſia. A) Strigonien-

Quæ merita Regis in Eccleſiam?

A) Sirmienſes & Bosnenſes Epiſcopi ante Belæ IV. ætatem, quod ſciam, diplomatibus non leguntur adſcripti, ut cæteri pro more Epiſcopi. Id obiter monendum, ſub primis Regibus præſentium ſolum Procerum, & Antiſtitum nomina apponi conſue-

BELA IV. nienſes Metropolitæ ejus liberalitate loci arcis poſſeſſionem pleno jure adiere, quæ ad id temporis Regiis etiam parebat uſibus. His præterea veteres immunitates a Philippo Archi-Epiſcopo in unum collectas ſolenni diplomate roboravit. Denique Bela imperante ſanctioris vitæ ſtudium mirifice propagatum fuit in Hungaria per DD. Dominici & Franciſci Filios, ac Sorores, quibus complura excitavit Domicilia, unde tot ſanctitate conſpicui viri fœminæque prodiere. Neque parum ad id contulit inſignis Ordo S. Pauli I. Eremitæ inter Hungaros natus, ac ſubinde ampliſſime propagatus; ejus hæc poſteris prodita ſunt initia: B. Euſebius Strigonienſis Canonicus ſeverioris vitæ ſtudio incenſus, bona Stephani de Vancha S. R. E. Cardinalis Archi-Epiſcopi venia in Piliſienſem ſeceſſerat ſolitudinem, ſibi uni ac Deo vacaturus, illic nocte quadam contemplationi intento, ſparſæ qua-

qua-

ſueviſſe. Vide Ep. Agrien. ſub initium Tom. I. paſſim in Regum literis.

quaverſum ſcintillæ in unum coire, & magnam lucem ſpargere viſæ: quid ſibi id portentum vellet, divinitus poſtea edoctus, diſperſos per nemora Anachoretas ad cœnobia colligere cepit, vivendique in commune leges præſcripſit. BELA IV.

Quis Belæ exitus?

XVI. Atque his rebus pro patria, pro religione præclare ac fortiter geſtis vel toleratis per quinque & triginta Regni ſui annos, nomen ſuum immortalitati conſecravit Bela, in familiari ſibi B. Virginis ad Budam inſula exſtinctus IV. idus Julii An. MCCLXX. plurimarum ex Maria Laſcaris Imperatoris Græcorum filia prolium Pater: plurium adhæc Sanctarum Frater, Avus, Patruus & Parens. A) Excelſi Rex animi,

 qui

A) Proles hæ fere recenſentur: I. Stephanus V. Rex. II. Bela Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Dux. III. Michael Serviæ, Bosniæ Dux. IV. Margareta. V. Catharina utraque in tenera ætate ſublata & Spalati condita. VI. S. Cunegundis Virgo Boleslai Pudici Poloniæ Ducis ſponſa. VII. S. Margareta Monialis O. S. Dominici in inſula lepotum prodigiis clara.

BELA IV. qui nullis calamitatibus debilitari frangique potuit: Hungariæ alter conditor, quam non modo ſuis e ruinis feliciter vindicavit, verum etiam priſtinæ reſtituit dignitati. Religionis commoda & incrementa privatis ſuis æquiſſime ſemper antepoſuit. Ejus corpus, ut ultimis caverat tabulis, in æde B. V. Mariæ apud PP. Seraphicos Strigonii conditum, cui ſubinde tumulo conjux Regina Maria, & Bela filius Dux Sclavoniæ illatus fuit. A)

STE-

clara. VIII. Eliſabetha Henrico Bavariæ Duci nupta, cujus filius Otto Rex Hungariæ. IX. Anna Radislai Haliciæ Ducis conjux, cujus filia Cunegundis ex Ottocaro Bohemiæ Rege ſuſcepit Venceslaum II. Patrem Venceslai III. Regis Hung. X. Agnes Conrado Maſſoviæ Duci conjuncta. XI. Conſtantia Leoni Ruſſiæ Regulo. XII. Helena Boleslao Pio Cracoviæ Duci. XIII. Sabina denique Moyſi Regni Hungariæ Palatino. Vide Annales Reg. ad An. MCCLXX.

A) Sepulchro hi verſus inciſi ſunt:

Aſpice rem caram, tres cingunt Virginis aram,
Rex, Dux, Regina: quibus aſſint gaudia trina.
Dum licuit, tua dum viguit Rex alme poteſtas,
Fraus latuit, pax firma fuit, regnavit honeſtas.

In Chron. M. Thurocz Parte II. cap. LXXVI.

STEPHANUS V.
REX XXI.
A. C. MCCLXX.

STEPHANUS V.

I.

Quibus de cauſis, quove ſucceſſu inſtauratum cum Ottocaro bellum?

UT primum patrium ſolium conſcendit Stephanus, quo in Ottocarum eſſet animo, palam fecit. Urgebat generoſum Principem Stiriæ nimia Parentis ſui facilitate amiſſæ dolor, præterea prædivitem theſaurum repetebat, quem olim Anna ſoror, incertum quibus conditionibus, a Patre Bela acceperat, ac una cum filia Cunegunde Ottocaro tranſcripſerat nuptiarum tempore. A) Denique non levem finium Hungariæ partem Ottocarus Auſtriæ adjecerat. Hæc ſatis gravia videbantur momenta, ut bellum ſine cunctatione indiceret, lætiſſimos quippe ſibi ſucceſſus ſpondebat, cum ob

A) Conſtabat hic theſaurus gemina corona ſceptroque aureo, gladio, monili, ſella, ſcutellis, variisque gemis auroque divitibus clenodiis, ut habetur in tabulis concordiæ, in Ann. Reg. Hung. ad An. MCCLXXI.

STEPHANUS V.

ob ſuam ſuorumque virtutem bellicam, tum vero fœderatorum potentiam, ut fuere: Boleslaus Poloniæ Rex, Henricus Bavarus, Philippus Salisburgenſis Antiſtes. Itaque prior infeſta ſigna Auſtriæ intulit, diviteque onuſtus præda impune domum rediit. Eo initio auctus animo, quo tempore ex pacto Salisburgenſis Carinthiam ſubiturus erat, ipſe cum Hungaris & Cumanis Moraviam intravit: Ottocarus ut erat rei militaris ſcientiſſimus, ommiſſo tantisper Stephano, Philippum Salisburgenſem aggreſſus, provincia ejecit, ac inde recta in Hungariam milite vacuam delatus, Poſonio, Tyrnavia, Nitria, ac ultra Danubium Jaurino facili negotio expugnatis, Stephanum ad tuendos Penates e Bohemiæ limitibus revocavit.

Quibus conditionibus ſolutum?

II. Hoſtem in ipſis Regni viſceribus commorantem cum ægre admodum ejectum iri perſpiceret Stephanus, ad pacem, quam Ottocarus ultro offerebat, applicuit animum. Convenere prius in inſula prope Poſonium Reges ipſi, innovataque amici-

tia,

tia, arbitros pro ſe quisque legere, qui de conditionibus per otium tranſigerent. Tabularum hæc fere ſumma fuit: Utrinque bello occupata redderentur: renovarentur limites veteres: de his orituras deinceps lites Strigonienſis Archi-Epiſcopus, & Olomucenſis Antiſtes ſuo definirent arbitrio: Stephanus Rex omni ſe in Stiriam, Carinthiam, Carnioliam, Marchiam, & Theſaurum denique jure abdicaret. Pronunciatum anathema in eum, qui bello alterum laceſſere prior inciperet. Additi fidejuſſores, qui de pace ſervanda caverent, pro Stephano: Carolus I. Siciliæ Rex. A) Henricus Bavariæ Dux, Michael Angelus Palæologus Græcorum Imperator, cæterorumque affinitate junctorum caterva longiſſima: pro Ottocaro vicini Germaniæ Principes, Angliæ & Hiſpaniæ Reges: qui ut tabulas has calculo ſuo ratas haberent, STEPHANUS V.

rogati

A) Erat hic S. Ludovici IX. Galliarum Regis frater Dux Andegavenſis, cæſo Conradino Rege utriusque Siciliæ Regnum a Clemente VII. Pontifice conſecutus An, Chr. MCCLXIX.

STEPHANUS V.

rogati ſunt. Sic tum pax coaluit, paulo poſt non ſine Ottocari exitio abrumpenda.

Quam poſt ſe moriens reliquit memoriam?

III. Brevi Regiminis tempore pauca egit Stephanus, quibus nihilominus Principem pium, æquum, ac fortem ſe probavit. Bulgariam illi, ut jam meminimus, debet ſacra Corona, cujus titulo primus uti cepit. Ditionum nil amiſit, aucturus eas haud dubie, niſi præmatura morte raptus fuiſſet Menſe Auguſto. An. Ch. MCCLXXII., ſepultus in Baſilica B. Virginis Mariæ in Inſula, quam eximiis donis percoluit, amplius vero exornavit præclaris quatuor, quæ in vicino degebant aſceterio, filiarum virtutibus, quas inter B. Eliſabetha inſigni præcellebat ſanctimonia. Complures adhuc ſuperſtites reliquit liberos: Ladislaum IV. Regem, Andream Sclavoniæ Ducem. A)

Ma-

A) Patet id ex literis Rudolphi I. Romanorum Imperatoris, ad Proceres Hungariæ, in quibus hæc habet: *Inclitos Ladislaum Regem Hungariæ, & Andream Ducem Sclavoniæ filios noſtros Cariſſimos,* *ſor-*

Mariam Carolo II. Claudo Regi Siciliæ nu- pcam; Annam, quam Michael Palæologus Orientis Imperator Andronico filio accepit conjugem.

STEPHA- CUS V.

LADISLAUS IV.

REX XXII.

A. C. MCCLXXII.

LADIS- LAUS IV.

I.

Ladiſlaus adoleſcens adhuc inauguratus cum per ætatem ſceptro gerendo impar videretur, Optimates rempublicam moderari cepere. Gregorius X. Pontifex teneri Regis ac Reginæ Eliſabethæ, erat hæc Caroli I. Siciliæ Regis filia, ſaluti proſpecturus, Antiſtites, Proceresque ad obedien-

Qua ætate Regnum adiit?

ſorte fatalitatis humanæ paternis orbatos ſolatiis... amplexu ſinuque paterno fovendos aſſumſimus. Apud Reverendiſſimum Hergott Genealog. Diplom. Gentis Habsburgicæ Volum. III. ſive T. II. pag. 482. Unde perperam nonnulli hunc cum Andrea Veneto confudere,

LADISLAUS IV.

entiam, fidem, devotionemque in pupillum Regem per literas excitavit. Alias inſuper ad Ladislaum ipſum dederat, quibus Religionem, ſinceram in Deum, bonorum omnium fontem pietatem, virtutumque Chriſtianarum ſtudium ſollicite commendat, & quaſi futura præſentiens mala, ad amorem fidemque integram Reginæ conjugi ſervandam blande cohortatur. Quæ monita ſi altius in animum demiſiſſet Ladislaus, felicior ille, felicior Hungaria futura erat.

Quam glorioſe res acta in Ottocarum?

II. Coronationis ſolennia bellum conſecutum non vulgarem Ladislao gloriam procuravit: Ægidius Comes Poſonienſis arcem, quam pro Ottocaro tenebat, Hungaris reſtituerat. Damnum reparaturus Ottocarus, LX. millium exercitu Hungariam vaſtare cepit. Fervente bello, Rudolphus Habsburgicus Imperator hominem admonuit, ut quoniam repudiata Margareta Auſtriaca nihil in ejus hæreditatem juris haberet, Auſtriam cæterasque provincias legitimo carentes Domino Imperii Romani juribus

LADISLAUS IV.

ribus reſtitueret: quod cum recuſaret Ottocarus, hoſtis Imperii denunciatus fuit, Hungariſque in eum arma conjunxit Cæſar An. MCCLXXVI. Tanto apparatu perculſus Ottocarus, pacem ultro expetiit; qua obtenta, Auſtriam & Stiriam Rudolpho Imp., nonnullas Hungariæ civitates ſuperiore bello occupatas una cum theſauro conjugis ſuæ Ladislao Regi ſine cunctatione reddidit, Bohemiam vero & Moraviam dicto prius Sacramento a Cæſare in feudum poſſidendam accepit. Obſequii hujus pudor, ac inſuper ambitioſæ conjugis reprehenſio Ottocarum ad infringendam pacem amiſſasque res bello repetendas accendit. Rudolphus ea edoctus molimina, adſcito rurſum in ſocietatem Ladislao cum Hungaris, ad Moravam flumen venienti hoſti ſuas opponit copias: poſt tentatam levioribus præliis diu fortunam, decretorio confligitur certamine A. MCCLXXVIII. die XXVI. Auguſti.; Bohemis in fugam actis, Ottocarus ne ignominiæ ſuperſtes foret, fortiſſime dimicans in arena occubuit. Rudolphus prolixis Hungaro Regi actis gratiis,

LADISLAUS IV. Alberto filio Auſtriam & Stiriam fiduciario nomine contulit, initiumque dedit florentiſſimæ per quinque & amplius ſecula domui Auſtriacæ. A)

Quibus viis depravati Regis mores?

III. Adeo proſpere adverſus potentiſſimum ea tempeſtate hoſtem res acta, non modicas Hungaris faciebat ſpes, fore, ut Ladislai auſpiciis paulo altius Hungarici Regni Majeſtas aſſurgeret; at mox opinione ſua deluſi ſunt; poſtquam Ladislaum cum adoleſcentia probitatem virtutemque una omnem poſuiſſe viderunt, atque ita, ut nunquam deinceps ad meliorem frugem reduci poſſe videretur. A Cumanis gentilibus depravatum extra dubium eſt. Cum gentem ſuperiore bello utilem expertus fuiſſet, quo aliquam redderet gratiam, familiarius verſari cepit, cum iis primum, qui Reginæ Matri propinguiores erant, mox nullo diſcrimine cum omnibus, qua e conſue-

A) Inſpice ſi placet *ſpeciminis Progonologico genealogici* cap. III. §. III. a pag. 50.

ſuetudine promiſcua, ut pronum erat, vivida indole adoleſcens ſenſim vitia etiam contraxit Regio faſtigio prorſus indigna: A virorum enim conſortio ad mulieres gradu facto, earum ſive forma ſive procacitate adeo captus erat, ut poſita omni verecundia, ruptoque conjugii vinculo, in Reginæ locum pellicum catervam ſublegerit, neque iis ſanctiſſimum ſanguinem Regium communem facere, ſibi vel Religioni vel dedecori duxerit. A) LADISLAUS IV.

IV. Fœdiſſimum ſcelus cum privato homini fugiendum, tum vero illi, cujus vita moresque aliis pro norma deſerviunt, quam maxime deteſtandum, vix dictu, quantam Regno toti perniciem invexerit. Cumani quod Regem in poteſtate haberent, omiſſa legis Evangelicæ ſuſcipiendæ cura, eje- Quanto reipublicæ detrimento?

A) „ Iſte (inquit M. Thuroczius) Rex ſpreto „ thoro conjugali filiabus adhæſit Cumanorum, Ay„ duam Kupchech Mandulam vocatis, ac alias quam „ plures in concubinas habebat, quarum amore cor „ ejus eſt merito depravatum.„ Cap. LXXIX.

LADISLAUS IV. ejectis impune verbi Divini Præconibus, paulo obſtinatius priſtinis adhæſere erroribus; non pauci ex iis, qui baptiſmum ſuſceperant, ad vomitus rediere: tum quaſi licentia data, diviſis agminibus Hungariam percurſantes, Optimatum, nobilium, ſacrorumque virorum opes diripere, Virgines Chriſtianas vi abductas ſibi jungere, pueros Hungaros in ſervitutem redactos paganis ritibus educare, in ruinam denique Religionis conſpirare, nemine obicem ponere auſo A) Crevit gentilium potentia non parum, quod eos Ladislaus in mulierecularum ſuarum gratiam præcipuis in Regno magiſtratibus admoverit; quo effectum brevi, ut peſſimi Regis exemplo complures ex Hungaris gratiam ejus gentis aucupantes, gentilium Cumanorum non modo veſtium, verum & vivendi rationem adoptarent, abjecta penitus Religione. His graviſſimum acceſſit incommodum ex collapſa plu-

A) P. Peterſii Conc. Hung. Tomo I. pag. 90. & 105. in Annal. Reg. ad An. MCCLXXIII. & LXXVIII.

pluribus locis diſciplina Eccleſiaſtica, quod Rex non alios Eccleſiis præficeret, quam qui ſuis conniverent cupiditatibus. Id quod diſſidiis cum Pontifice occaſionem præbuit. Is enim ad avertendam ab Eccleſia Hungarica ruinam nullatenus ratam habere voluit id genus hominum electionem, qui neque virtutem, neque doctrinam, neque fortitudinem ei muneri neceſſariam præſeferrent. Unde factum; ut præter alias ſedes etiam Strigonienſis pluribus annis vacaverit.

LADISLAUS IV.

V. Communibus malis medelam facturus Nicolaus III. Pontifex Philippum ex ordine minorum S. Franciſci Firmanum Epiſcopum cum Legati poteſtate in Hungariam dimiſit. Is ut primum attigit, nil ſibi prius diligentiusve agendum putabat, atque ut ejectis ex Aula pellicibus, Reginam Eliſabetham priſtino thoro reſtitueret. Cum mollia necquidquam tentaſſet remedia, peſſimorum conſiliorum adminiſtros a cœtu fidelium reſcidit, Regem quoque durius aggreſſurus. Ea agendi ratione commo-

Quibus artibus ad frugem aliquantum revocatus?

LADISLAUS IV. motus Ladislaus, præcipue quod nonnulli de ipſo exauthorando conſilia clam agitari ſuggeſſerant, Legatum carcere prius maceratum, Regno faceſſere juſſit. At mox errorem dedoctus, factique poenitens legatum non ſine honore in Hungariam revocavit: tum conjuge in thorum recepta, quidquid pro ſalute reipublicæ expedire videretur, facturum ſe quam liberaliſſime addixit: reliqua inter ſancte ſe obſervaturum ea omnia, quæ inaugurationis ſuæ tempore ſolenni promiſerat juramento: operam daturum diligentiſſime, ut Cumani ab idolorum cultu abſtracti JESU Chriſti religioni initiarentur, omnia item in integrum redderent, quæ ſeu profanis, ſeu ſacris hominibus per vim eripuerant. His promiſſis recreatus Philippus Legatus, Budæ ſynodum nationalem habuit: ubi bona Regis venia Lodomerius Varadinenſis Antiſtes, non minus doctrina & virtute, quam natalium ſplendore illuſtris, Strigonienſi Eccleſiæ ſexennium prope legitimo carenti Paſtore fuit impoſitus. Actum poſtea de inſtauranda diſciplina Eccleſiaſtica, moribusque

que populi corrigendis. Quem in finem utiliſſimi perlati fuere canones, ex quibus, quæ tum fuerint vulnera, facile conjeceris. A) Illud ad veterem Hungariæ conſuetudinem minus exactum fuit, quod Legatus, nullo facto diſcrimine, vetuerit generatim, beneficia Eccleſiaſtica e laicorum manibus accipi: ſive hoc in cauſa fuit; nam non deerant, qui exaggerebant juribus Regiis compedes injici; ſive Cumanorum deſiderium diutius ferre non poſſet Ladislaus, dimiſſa iterum Conjuge, Concilii Patres armata manu ex urbe ejecit, ſeque ſuis reddidit pellicibus. Graviter ad hæc ingemuit Nicolaus III. Pontifex ac ne quid ad curandam Regis ſalutem intentatum relinqueret, Rudolphum Imperatorem, Venceslaum Bohemiæ, Carolum Siciliæ Reges ſollicite per literas nunciosque oravit, uti preces auctoritatemque ſuam apud Ladislaum pro Eliſabetha interponerent. Eadem de re ad Reginam Matrem & Optimates Regni ſcripſit. Denique pro-

LADISLAUS IV.

X 4 lixas

A) Concil. Hung. loc. cit.

LADISLAUS IV.

ſedulo incubuere. Cumani gentiles ab eorum ſeveritate male ſibi metuentes, clam ſuos ad arma cogunt, iis etiam, qui adhuc in Cumania reſtiterant, in belli ſocietatem evocatis, non niſi Regno in ſuam redacto poteſtatem deſtituri. A) Nefaria hæc conſilia celari diu non poterant. Optimates igitur Hungaros ex legum præſcripto ſub ſigna evocant. Ubi pares hoſtibus adeſſe jam vires ſenſere, Regem adeunt, commemoratisque Cumanorum molitionibus ad juſtam commotum indignationem, e cuſtodia ad caſtra deducunt. Incredibili acceptus lætitia a ſuis, cum omnia ad prælium comparata viderentur, claſſica ſonare pugnamque auſpicari jubet: concurſum pertinacibus utrinque ſignis, terga demum vertere Cumani, quibus cœlum ipſum eo die infeſtum fuiſſe ferunt: adverſis

A) M. Thuroczio teſte. „ Oldamur Dux Cu„ maniæ congregato exercitu Cumanorum circa la„ cum. Hood vocatum voluit hoſtiliter Regnum in„ vadere Hungarorum, ut ſuo dominio ſubjugaret.„ Cap. LXXVIII.

verſis imbribus in pugnantium ora deplu- entibus, laxatisque humore arcubus, queis potiſſimum ea gens eminebat. A)

LADISLAUS IV.

Quid periculi a Tartaris?

VIII. Ab infelici ea pugna Cumanorum ductor Oldamur in Aſiam elapſus explicatis reipublicæ Hungaricæ peſſime conſtitutæ rationibus, præclarumque ſpe propoſita, facile Tartaros induxit, ut ſecum illico profectionem inirent. Tanta erat Barbarorum multitudo, ut undecim milliarium ambitu pro caſtris opus haberet. Vix pedem intulerant, cum continuo quaquaverſum diffuſi cædes vaſtitatemque afferre, populationibus Peſtinum usque prolatis. Ladislao nec animus nec vires fuere ad tantam tempeſtatem propulſandam. Optimates, Nobiles, ut extremo in diſcrimine, de fuga potius, ſaluteque in editionibus quærenda cogitabant. Actum erat de Hungaria, niſi Numen propitium tot innocentum precibus, piisque operibus placatum præſenti ope ſubveniſſet, multis Barbarorum peſtifero ab- ſum-

A) Ibidem.

LADIS-
LAUS IV.

ſumtis morbo, aut inedia enectis. Tantam præterea imbrium grandinisque frequentiam cælo in hoſtes demiſſam narrant, ut ii de fuga potius, quam proſequendo bello conſilia agitarent. Cæleſti auxilio in ſpem erecti Hungari, fugitivorum agmina ex inſidiis carpentes magnam edidere cædem. Pars Tartarorum vulgi iras verita ad Cumanos ſe recepit, quorum poſteri nonniſi Carolo rerum potiente ad fidem Chriſtianam ſunt adducti.

Quomodo diminuta Regni Hungarici potentia?

IX. Luculenta Numinis ope ultimo erepta exitio Hungaria, adeo in vitæ melioris propoſito firmatus non fuit Ladislaus, ut potius neglecta penitus reipublicæ cura in facinora præteritis majora prolaberetur. Renovata cum Cumanis amicitia minime contentus, Tartaros ipſos, Saracenos ac Neugerios, fortaſſe quos Zingaros poſtea dixere, in ſuam admiſit familiaritatem, apud hos vivere, in eorum mappalibus convivari, dignitatis ſuæ immemor, in deliciis habebat. Ex qua Regis ſocordia facile quisque aſſequi poterit, quantum

Hun-

Hungaria detrimenti acceperit. Ea enim occaſione uſi vicini Principes, limites ſuos nemine reſiſtente inſigniter protulerunt. Albertus Auſtriacus Poſonium, Sopronium vicinaque alia XXVIII. oppida milite ſuo inſedit. Veneti maritimas Dalmatiæ oras in ditionem redegere. Uroſius Serviæ Dux excuſſo Hungarorum jugo, ſe in libertatem vindicavit. Exterorum exemplo animati Dynaſtæ potentiores, Bani imprimis in provinciis ſuæ præfecturæ obnoxiis tyrannidem arripuere. Nobiles ipſi in communi ea Regni direptione facultatum ſuarum augendarum cupidi infirmiores in ſervitutem redigere, rapinasque in vicinis locis exercere non perhorreſcebant, nulla Regis æquitatisque habita ratione. Id genus populationibus inteſtinis adeo jumentorum numerum fuiſſe imminutum memorant, ut eorum loco homines ipſi currus impellere cogerentur, qui in perpetuam calamitatis tantæ auctoris memoriam *Ladislai currus* a vulgo appellati ſunt. A) En ut

A) „ Illo tempore biga, ſcilicet duarum rotarum „ ve-

LADISLAUS IV. ut Regna etiam optime conſtituta maximis ad interitum properent paſſibus, ut primum Regiam ſibi poteſtatem e manibus elabi ſinunt, exemplisque ſuis ad leges impune violandas viam aperiunt, ii, quos Deus populi Rectores, legum defenſores, juſtitiæque vindices collocavit.

Quod crimen in fratrem Andream Sclavoniæ Ducem admiſſum?

X. Hæc cum eſſet intereuntis Hungariæ facies, Optimates Regni nonnulli viſo, tot adhibitis remediis Regem nihilo meliorem fieri, curasque reipublicæ penitus abjeciſſe, A) ne Regnum deceſſorum Regum ſudoribus ſtabilitum unius ſcelere peſſum iret, habito inter ſe conſilio Andream

A) La-

„ vehiculum a Regni incolis *currus Ladislai Regis* „ dicebatur, quia propter continua ſpolia animalia „ vehicula trahentia defecerant in Regno: ſed ho- „ mines more pecorum bigis juncti vices anima- „ lium impendebant. „ Idem cap. LXXXI.

A) Legi meretur Honorii IV. Pontificis Epiſtola, qua Ladislai Regis ignaviam, vitiaque ſuaviter ac fortiter reprehendit in Annal. Reg. ad Annum MCCLXXXVII.

LADISLAUS IV.

a) Ladiſlai fratrem e Sclavonia evocare, Regemque ſalutare decernunt. At Regiorum ſcelerum fautores, qui ex ea communi rerum perturbatione privatas ſuas facultates potentiamque non mediocriter auxerant, veriti, ne Andrea ad ſolium evecto ſua conſtringeretur ambitio, clam Ladiſlaum de Optimatum conſpiratione edocent. Is facto a libidinibus ad ſanguinariam crudelitatem gradu, ſine mora fratrem ſuum ad necem conquiri jubet, cumque fuga in Poloniam abiiſſe accepiſſet, conductos multo ære ac promiſſis ſicarios eo deſtinat. Illi ſimulata fide, ac amicitia cum ſe in Ducis familiaritatem inſinuaſſent, captata occaſione inſontem in flumen præcipitem demergunt, ampliſſimis reduces ob rem præclare

re

a) Andreæ huic Sclavoniæ Duci primum deſtinata fuit una ex Rudolphi Cæſaris filiabus Jutta, tum vero deſponſa fuit Clara Euphemia Goritienſis, quam Andreæ Veneti Uxorem fuiſſe contendit Excell. ac Doctiſſ. C. Coronini a Cronberg in Tentamine Genealogico Chronolog. Comitum Goritiæ, quod in Collegio Reg. Thereſiano edidit Anno MDCCLII.

LADISLAUS IV.

re geſtam exculti muneribus. Inhumanum ſane facinus, atque eo patratum tempore, quo Ladislao hærede carenti nil magis in optatis eſſe debuerat, atque ut unicum germanum ſuum Andream ſucceſſorem legeret. Ita ſpe ſua deluſos Proceres unus ſolabatur Andreas, Venetus dictus, Stephani poſthumi ex Thomaſina prædivite Matrona filius, qui ducta Fennena Zemoviti Cujaviæ alias Wladislaviæ Ducis filia A) Regiæ ſtirpis orbitatem poterat abſtergere, is ne conſimili fato periret, clam in Auſtriam effugit, inde poſtea ad Regnum accerſendus.

Quam infelici exitu vitam clauſit Ladislaus?

XI. Non multo poſt Ladislaus toties Deo violatæ fidei pœnas dediſſe viſus fuit, ab iis ipſis, quorum amicitiam tam turpibus quæſierat artibus, interemptus; Cumani enim Regno in partes diſtracto facile ſe potiri poſſe rati, tentandum id, quod dudum

A) Fennenam appellatam fuiſſe Andreæ Veneti Uxorem teſtantur ejusdem jam Reginæ Sigilla.

LADISLAUS IV.

dudum ante animo conceperant, putavere. Itaque communi ſeniorum conſilio Regem e medio tollere decernunt, cætera facilius poſtea effectui daturi. Parricidii auctores delecti viri præcipui: Arbuz, Turtule, & Kemenche, qui Ladislaum prope caſtrum Kőrős-ſzegh ſub tentoriis agentem noctis ſilentio aggreſſi multis confodere vulneribus feria II. ante feſtum S. Margaretæ V. M. ſive X. Julii An. MCCXC. Non tamen impune id eis abiit, Myze enim e Saraceno Chriſtianus, atque ad Palatini dignitatem evectus, paucis elapſis diebus, Parricidas nil tale opinantes, una cum Edua pellicum principe comprehenſos exquiſitiſſimis mulctavit ſuppliciis. a) Corpus Ladislai Chanadini urbe Cumanis finitima conditum, omni ex parte miſerrimi, qui mature ſublato Patre Stephano V., in improborum inſtitutorum manus delapſus, poſtquam fœdiſſimas voluptates in

a) Apud M. Thuroczium cap, LXXXI. in nota 2. & 3. ex Chronico Budenſi editionis Anni MCCCCLXXVIII.

LADISLAUS IV.

ipſo ætatis flore deguſtaſſet, adeo Religionem ipſiusque rationis ſenſum ſubinde abjecit, ut mulieribus impudicis Reginam conjugem nobiliſſimam, famam, rempublicam, ac ſalutem denique ipſam poſthabuerit, qua vivendi ratione eam morum legumque depravationem Regno toti invexit degener ſanctiſſimorum Avorum nepos, ut non niſi maximis Caroli I. ac Ludovici M. Regum curis Regni Hungarici pietas & majeſtas potuerit reparari.

GENEA-

TABULA IV.

GENEALOGIA REG. HUNG. I. PERIODI.

ANDREAS II. Hieroſol. ✱ 1235.
Con. a Gertrudis Carinth.
b Jolanta Altiſſiodor.
c Beatrix Eſtenſis.

a. Bela IV. R. ✱ 1270. Con. Maria Laſcaris.

a. Colom. R. Hallic. Co. Salomea Ruſſa.

a. Andreas Co. Anon Ven. — Marcus in Gallias abiit.

a. S. Eliſabet. Ludovicus. Thuringus.

a. Maria Aſanes R. Bulgar

b. Jolanta Jacobus R. Arragon.

c. Stephan. Poſthum. Con. Thomaſina Ven. — Andreas III. R. ✱ 1301. defecit Co. a. Fennena Zemoviti Cujaviæ Ducis filia. b. Agnes Auſtriaca. — a. Eliſabetha. Venceslaus R-H. b. Catharina.

Stephan. V. R. ✱ 1272. Con. Eliſabet. Cuman.

Bela Sclav.

D. Michael D. Serv.

S. Margaret. Or. S. Domi.

S. Cuneg. Boleslaus. Pudic. Pol.

Anna Radisl. D. Halli.

Conſtantia Leo Ruſſ.

Helena Bolesl. Polon.

Agnes Conra Maſſov.

Eliſab. Henri. Bava.

Sabin. Moyſes Palat.

Ladisl. IV. R. ✱ 1290. Con. Eliſabetha Caroli I. Sic. R. filia.

Andreas Dux Sclav. Co. Clara Euphemia Goritienſis.

Maria Carolus Claudus Rex Siciliæ.

Anna Michael Paleolog.

S. Eliſabetha & tres aliæ Ord. S. Domin. in Inſula B. V. M.

ANDREAS III.

DICTUS VENETUS.

REX XXIII.

A. C. MCCXC.

ANDREAS III.

Jurene Regni Hungarici ſceptro potitus?

I.

OCtavo & decimo a cæde Ladiſlai IV. die Andreas hujus nominis III. ob matrem Thomaſinam Venetus dictus *) ex Auſtria in Hungariam reverſus, conſpirantibus Antiſtitum, multorumque Procerum votis Rex ſalutatus, a Lodomerio Strigonienſi Archiepiſcopo ſolenni more diadema accepit. Neque enim præter eum alius ſupererat domeſticæ ſtirpis Regiæ hæres: ut adeo legitimis Hungariæ Regibus citra dubitationem adnumerandus ſit, quamvis ab Italis ſcriptoribus Andegavenſi familiæ faventibus non niſi adminiſtratoris titulo condecoratus fuerit.

II. Vix

*) Vide Genealog. Reg. Hung. Tab. IV.

ANDREAS III.

Quos continuo expertus æmulos?

II. Vix Regni poſſeſſionem adiit, cum potentiſſimos illico nactus fuit æmulos. Signum ſuſtulit Carolus Martellus Caroli II. Claudi Siciliæ Regis ex Maria Hungara filius. Ambitioſa Mater Regni Hungarici jus ad ſe, prolesque ſuas devolutum arbitrata, per Legatum Pontificium Martellum filium Neapoli coronari, Regemque Hungarorum promulgari curavit. Importunis mulieris precibus & complurium e præcipuis Optimatum poſtulationibus inductus Nicolaus IV. Pontifex, cum eam coronationem calculo ſuo probaviſſet, graviſſimis iisque diuturnis factionibus Regnum Hungariæ objectum fuit. Alter æmulus acceſſit Albertus Dux Auſtriæ, quem Rudolphus Pater ex oblatione Regni per Belam IV. Friderico Cæſari facta A) Regem Imperio fiduciarium creaverat.

A) Cura hæc jam olim Belam IV. angebat ſollicitum, ne eapropter Imperatores Romani jus ſibi in Hungariam arrogarent. Sed eo metu Regem ſolverat Innocentius IV. pactum ſub conditione initum, hac

ANDREAS III.

Qua ratione ab Alberto Auſtriaco ſolutus?

III. Periculo, quod ex Auſtria imminebat, brevi liberatus fuit Andreas, cum enim ab Alberto Duce vehementius diffiderent ſui, quod exteros dignitatibus admoveret, Andreas cum copiis Auſtriam hoſtiliter ingreſſus, facile hominem de ſua ſollicitum ſecuritate non modo ad renunciandum dubiis ſuis in Hungariam juribus, verum etiam ad pleraſque civitates, quas vivo Ladislao Rege occuparat, reſtituendas coegit. Fœderibus tum initis addita affinitas: Andreas enim defuncta prima conjuge, Alberti filiam Agnetem conjugio ſibi copulavit.

Quo ſucceſſu res acta in Carolum Martellum?

IV. Paulo difficilius negotium Andreæ fuit cum Carolo Martello, cui Carolus Claudus Pater, & Regina Maria dudum ante provido ſane conſilio complures Dalmatiæ Urbes, & Dynaſtas potentiores conciliaverat.

hac non impleta irritum eſſe declarans; eo quod Fridericus, ut conventum erat, Tartaros Hungaria minime exegerit. Vide Ann. ad An. MCCXLV.

rat. a) Horum itaque favore fretus ſine mora in Illyricum navigavit, ſumma ubivis honoris & fidei ſignificatione acceptus. Ejus adventu cognito Andreas, priusquam Croatarum primores ad defectionem pertrahi poſſent, cum Hungaricis copiis ad Zagrabiam profectus fuit, conſertum illic prælium eo ſucceſſu, ut Carolus Martellus victus fugatusque convaſatis rebus unde venerat Neapolim rediret. Inde Romam delatus egit, ut ex Pontificis manibus Hungariæ Rex coronaretur, ea ſolennitate exiſtimans proniora ſibi omnia deinceps apud Hungaros fore; at ſpe ſua deluſus eſt, cum enim novam apparat expeditionem, ſubito exſtinctus, bellum Carolo Roberto, quem ex Clementia Rudolphi Cæſaris filia genuerat, proſequendum reliquit. ANDREAS III.

V. Gemino defunctus periculo, curas cogitationesque omnes eo intendit, ut ſuorum ſibi animos arctius obſtringeret. Ac Cle- Quam inania Andreæ adverſus Carolum Robertum ſtudia?

Y 4 rum

a) Lucius de Regn. Dalmat. & Croaciæ Lib. IV. Cap. X.

ANDREAS III. rum quidem inſigni pietate, juſtitia & in tuendis Eccleſiæ Hungariæ juribus conſtantia A) facilem in ſua vota habuit, adeo ut Antiſtites communi conſilio omnibus anathema dixerint, qui legitimo Regi parere detrectarent. Profanos autem viros omni officiorum genere, profuſis inſuper Thomaſinæ Matris theſauris in fide continere non omiſit. Auſtriaco fœderi adjecit Bohemicum cum Venceslao II. Rege, cujus filio cognomini poſtea Hungariæ Regi Eliſabetham ex priore conjugio filiam collocavit. At ſera jam fuere omnia, malo domi latius in dies ſerpente. Potentiores enim ex Optimatibus ut Mathæus Omodeus, Paulus Dalmatiæ Banus, Joannes, & Henricus Sclavoniæ Bani Henrici filii, Ugrinus de Uylak, ac prope omnes Illyrici præfecti crebris Mariæ Neapolitanæ nunciis & Largitionibus corrupti, miſſis ad Bonifacium VIII. Pontificem legatis exauthorato Andrea III. Carolum Robertum Martelli filium

A) Conſule Concil. Hung. T. I. a pag. 126. & Epiſcop. Agrien. T. I. a pag. 219.

filium Regem ſibi dari poſtulavere. Pontifice ſuapte in Andegavenſem familiam propenſo, votis liberaliter ſubſcribente, legati factionis Carolinæ Neapolim regreſſi, Carolum Robertum puerum undennem claſſi impoſitum Spalatum deducunt. Menſem illic ſubſtitit Carolus, poſtquam autem intellexit, Pauli Bani opera univerſam Dalmatiam & Croatiam ad ſe defeciſſe, in Procerum commitatu Zagrabiam tetendit, e propinquo Hungarorum animos pertentaturus. ANDREAS III.

VI. Totius Illyrici defectione majorem in modum conſternatus Andreas, cum non obſcrure videret Hungarorum quoque animos tot pulſatos machinis vehementer in fide nutare, e mœrore contracta ægritudine conſumtus eſt in caſtro Budenſi VIII. idus Martii An. MCCCI. A) nullo poſt ſe reli- Quis vitæ exitus?

A) Lucius Lib. IV. cap. X. Sunt qui tradunt Chyrurgum a Carolina factione Corruptum, quo Regi Andreæ III. Venam inciderat Cultellum Veneno illeviſſe, ſicque eidem mortem conſciviſſe.

ANDREAS III.

relicto hærede, ibidem apud FF. Minores in Eccleſia S. Joannis Evangeliſtæ conditus. Erat Andreas ultimus e Regia Hungarorum ſtirpe, qui a Geiſæ Ducis Chriſtiani temporibus trecentis & amplius annis Hungariam inſigni plerique cum laude moderati ſunt, Princeps eximiis ad regendum dotibus ornatus, qui ſi ab æmulorum vi, aut potius quorundam perfidia ſemet expedire potuiſſet, damna ſive Religioni, ſive Reipublicæ Ladislai IV. ſocordia, & improbitate illata, unus ipſe pietate, prudentiaque ſua quam cumulatiſſime reparaſſet. Equidem mirum videri poterat, quosdam Hungarorum Andream inſectatos fuiſſe, neque ullam in eo intereuntis, tam inſigniter de Patria meritæ ſtirpis, habuiſſe rationem: nulla nempe tam ſunt arcta vincula, quæ non ambitione, atque avaritia corrumpi, labefactarique poſſint.

Exſtincta virili Regum ſtirpe quis Hungariæ ſtatus?

VII. Virili Arpadi ſanguine in Andrea III. ſublato, in duas Regnum omne partes

tes abiit. Illyrici Proceres cum Ugrino, & Mathæo Omodeo Carolo adhæſere, citatisque eum itineribus Strigonium deduxere; ubi a Gregorio loci Antiſtite peculiari quadam corona incinctus fuit; quod Regium D. Stephani Diadema cum cetero apparatu in adverſæ partis poteſtate fuerit. Singularis hæc inaugurandi ratio nec univerſæ gentis conſenſione, nec ſolito ad eum diem ritu peracta, graviter a plerisque accepta fuit, claſſicumque ſuſtulit, ad nova mox Carolo objicienda obſtacula. Caput horum erat Dominicus Magiſter Tavernicorum, Demetrius, Henricus, aliique plurimi e Majoribus, qui paucorum ſtudiis ſublata libertate priſtina, Regem ſibi imponi non ferebant. His adjuncti ſunt e ſacro ordine Joannes Colocenſis Archi-Epiſcopus, Andreas Agrienſis, Emericus Varadinenſis, Haaba Vacienſis, Antonius Chanadienſis, Nicolaus Bosnenſis, Jacobus Scepuſienſis Epiſcopi, qui ut liberum eligendi jus ſartum tectumque ſervarent, communi con-

ANDREAS III.

ANDREAS III.

ſilio Venceslaum Bohemum Avia Hungara progenitum ad ſolium evocare decernunt. Hunc in modum diviſis Hungarorum animis decennio prope contrariis ſtudiis diſtracta fuit Hungaria, non ſine graviſſimo Reipublicæ detrimento.

FINIS PARTIS PRIMÆ.

ELEN-

ELENCHUS QUÆSTIONUM PARTIS PRIMÆ.

HUNGARIA VETUS.

Quid Hungaria? Quibus e Provinciis compoſita? - - - - - Pag. 1
Quoties ſcythicis ſubdita populis? - - 3

RES HUNNORUM.

Quæ Hunnorum incunabula? Quæ fata olim in Aſia? 4
Qua tempeſtate in Pannoniam delati? - - 7
Per quos Reges adminiſtrata in Europa Hunnorum Reſp. - - - 8
Quo ſucceſſu rem geſſit Atila cum Orientis Imperio? 9
Quo item cum Occidentalibus ad Catalaunum Galliæ urbem? - - - 11
Qua tempeſtate D. Urſula, ac Sociæ VV. ab Hunnis cæſæ? - - - 14
Quid præterea ab Hunnis actum in Italia? - 15
Quo exitu vitam clauſit Atila? - 17
Quibus machinis labefactatum Hunnorum Imperium? 19
Quando demum interiit? - - 20

RES AVARUM.

Quæ Avarum initia? - - PAG. 22
Quæ fortuna, priusquam Europam tenerent? - 23
Quibus artibus reſtitutum Scythicum in Pannonia Imperium? - - 24
Quomodo per Francos deletum? - Ibid.
Quid inde commodi in rem Chriſtianam? - 25

RES HUNGARORUM.

Qui Hungari? an Hunnorum Attilanorum poſteri? - 27
Quæ Turcici, ſive Hungarici in Aſia Imperii initia? quæ amplitudo? - - Ibid.
Quas in partes, & cur diviſum? - 28
Poſt collapſum Imperium, quas in Aſia coluere ſedes Turci? - - - 30
Qua tempeſtate Arpadus apud ſuos Principatum adeptus? - - - 32
Quomodo Hungaria potitus? - 35
Quæ ſors Pacinacitarum in Dacia? quænam ex iis gentes exortæ? - - - 37
Quæ Reip. ratio apud Hungaros? - - 44
Quo ſucceſſu geſta bella usque ad tempora Ottonis Cæſaris? - - 46
Quæ occaſio pacis cum Ottone Cæſare? - 50
Quæ prima opportunitas promulgandæ inter Hungaros legis Chriſtianæ? - 51
Qui primi Hungarorum in fide Inſtitutores? - 52
Quæ ſtudia Geiſæ ad firmandam rem Chriſtianam? - - - 54

Quibus artibus Regnum filio ſtabilivit? Pag. 56
Quando diem ſuum obiit? - - - 58

HUNGARIA NOVA. 60

Quis ſtatus novæ Hungariæ? - - Ibid.
In quot claſſes, ſive periodos unverſa Regum ſeries diſpeſci poteſt? - - 62
Quo jure Hungaris præfuere Arpadiani Principes? Ibid.
Quæ vices Hungariæ hac Periodo? - - 68
Quæ turbarum domi cauſæ? - - 72
Quæ Regnorum acceſſiones factæ? - 75

S. STEPHANUS REX I. 77

Quando quamque amplum Regum adiit? - Ibid.
Quibus e cauſis enatæ turbæ? - - 78
Quam pernicioſa Cupæ Ducis Simeghienſis hæc inter conſilia? - - 79
Quam proſpero exitu diſſipata? - - Ibid.
Quæ primæ poſtea D. STEPHANI curæ? - 81
Quantus ad promovendam rem Chriſtianam ardor? 82
Cur Aſtricus Romam Legatus? quove ſucceſſu? 84
Quando coronatus D. STEPHANUS? - - 88
Quam ſapienter ordinata Eccleſia Hungarica? - - 89
Profana item Reſpublica. - - - 90
Quo fine utriusque ſexus cœnobia condita? 93
Qua de cauſa celebratum Strigonii Concilium? - 94
Quid tum in Eccleſiæ commoda conſtitutum? - 95
Quid in rem profanam? - - 96

Qua

Qua tempeſtate adjecta S. Coronæ Tranſilvaniæ ditio? - - - PAG. 99
Quo Prodigio bellum ſolutum cum Conrado Salico Imperatore? - - - 100
Quo item Bulgaricum? - - 102
Quam rara EMERICI filii ſanctimonia? - 103
Quibus artibus ad regendum inſtitutus? - 104
Quibus præſidiis eidem ſucceſſio communita? - 123
Quam ſubito ſucciſæ Parentis de eo ſpes? - 124
Quæ deinceps conſilia de ſucceſſore Legendo? - 125
Cur Petrum ſororis filium cognatis Ducibus prætulit? - - - 127
Quo id animo acceptum ab Hungaris? - 128
Quæ cauſa fugæ *Ducum in Poloniam?* - 129
Qua pietate diem ſuum obiit STEPHANUS? - 131

PETRUS REX II. 136

Quo crimine Regni ſui initia corrupit? - Ibid.
Quibus vitiis Hungarorum a ſe animos alienavit? 137
Cur Regno exutus? - - 138

SAMUEL ABA REX III. 139

Quomodo Hungarorum expectationi ſatisfactum a SAMUELE? - - Ibid.
Quo ſucceſſu ſuſcepta *prima* Henrici III. Cæſaris Petri cauſa in Hungariam expeditio? - 140
Quo item altera? - - 141

PE-

PETRUS RESTITUTUS. 143

Regno redditus qualem ſemet exhibuit? - Ibid.
Quo exitu vitam clauſit? - - - 144

ANDREAS I. REX IV. 145

Quam perturbata Regni initia: - - Ibid.
Quibus artibus procurata tranquillitas? - 147
Quam ſeveris legibus compreſſa Gentilium licentia? - - - - 148
Quomodo pax cum Henrico Cæſare coaluit? - 150
Quæ diſſidiorum ANDREAM inter, & BELAM fratres initia? - 151
Quis belli fraterni finis? - - - 153

BELA I. REX V. 156

Quo jure ſolium conſcendit? - Ibid.
Quibus artibus omnium in ſe ſtudia convertit? - 157
Quomodo gentilium compeſcuit licentiam? - 158
Quo mortis genere obiit? - 159

S. SALAMON REX VI. 161

Cujus beneficio Patrium recepit thronum? - Ibid.
Quæ Regem inter, ac Duces odiorum cauſæ? - 163
Quomodo ſublatæ? - - - - - 165
Quanta hinc SALAMONI, & Regno commoda? 166
Unde novæ iterum ſimultates? - 167
Qualibus appetiti inſidiis Duces? - - 169

Quo

Quo ſucceſſu primum cum GEISA prælium geſtum? - - PAG. 170
Quam infelici fato victoria, & Regno exutus SALAMON? - - - - - Ibid.

GEISA I. REX VII. 172

Cur exauthoratus SALAMON? - - Ibid.
Quid ejus cauſa actum a Cæſare? - - 173
Quam rara cum laude Regnum, vitamque poſuit GEISA? - - 175

S. LADISLAUS REX VIII. 177

Jurene Regnum adeptus? - - - Ibid.
Quid ei negotij cum SALAMONE? - - 178
Quæ deinceps SALAMONIS vitæ ratio? - - 179
Quo jure adjecta S. Coronæ Croatia? - 180
Quam proſpere geſtum primum cum Cumanis bellum? 182
Quo prodigio ſolutum alterum? - 183
Quem in finem, & ubi conventus celebrati? - 184
Quæ leges perlatæ Szabolchini? - - 186
Quæ item in monte Pannoniæ? - - 188
Qua tempeſtate e vivis ereptus LADISLAUS? 190
Quæ illius conjux liberive? - - 192

COLOMANUS REX IX. 196

Quibus rebus in ipſo Regni aditu inclaruit? Ibid.

Quo

Quibus oppreſſæ artibus? - PAG. 223
Qua laude Remp. adminiſtravit BELA? - 224

GEISA II. REX XII. 227

Quid GEISÆ continuo periculi a Borichio? Ibid.
Quanta gloria geſtum cum Auſtriacis bellum? 228
Quo ſucceſſu cum Græcis? - - 229
Quid diſcordiarum Regem inter, ac fratres? 230
Quid a GEISA cautum teſtamento? - 232

STEPHANUS III. REX XIII. 234

Quibus artibus Regnum ſibi adverſus Patruos ſtabilitum ivit? - - Ibid.
Cur a Græcis ſolio depulſus? - - 235

LADISLAUS II. REX XIV. 238

Quamdiu Regno præfuit? - - Ibid.

STEPHANUS IV. REX XV. 239

Quibus artibus Regno potitus, & exutus? - Ibid.

STEPHANUS II. RESTITUTUS. 241

Quibus conditionibus pax MANUELEM inter, & STEPHANUM III. compoſita? - - Ibid.
Quibus ex cauſis violata ab Hungaris, quomodo rurſum reſtituta? - - - 243

Unde

Unde alterum enatum bellum, Quanto Regni Hungarici detrimento? . . . Pag. 24

Quo ſucceſſu geſtum tertium cum Græcis bellum? . . . 247

BELA III. REX XVI. 248

Qua ratione avito redditus ſolio? . . Ibid.

Quam ſapienter continuo ordinata Aula Hungarica? . . . 250

Quomodo item abuſus in rebus Eccleſiaſticis correcti? . . . 251

Qua tempeſtate reſtituta S. Coronæ Dalmatia? 253

Quantam ſui memoriam BELA moriens reliquit? 254

EMERICUS REX XVII. 256

Quo facinore Regni ſui initia obſcuravit? Ibid.

Quæ belli cum Andrea fratre exordia? 258

Quis exitus? . . . 259

Quid geſtum præterea ab EMERICO? . . 260

LADISLAUS III. INFANS. REX XVIII. 262

Quid turbarum ejus cauſa? . Ibid.

ANDREAS II. HIEROSOLYMITANUS. REX XIX. 264

Quæ prima motuum in Regno ſemina? . Ibid.

Quid de cæde Gertrudis Reginæ? . . 266

Qua

Qua tempeſtate, quove ſucceſſu peracta expeditio Hieroſolymitana? Pag. 267
Redux domum quam perturbatam reperit Hungariam? 271
Quænam adhibita remedia? 273
Quid diſſidii Regem inter ANDREAM, & Filium BELAM interceſſit? 279
Quæ religionis Chriſtianæ detrimenta, & unde enata? 278
Quot moriens proles reliquit? 281

BELA IV. REX XX. 283

Quam ſapienter communia Reip. vulnera curata? Ibid.
Quantopere alienati a Rege nonnullorum animi? 285
Quomodo accepti in Hungariam Cumani? 286
Qua tempeſtate in Hungariam irrupere Tartari? 289
Quam inique pugnatum ad Sayonem? 291
Quid inde Calamitatis conſecutum? 293
Squallor per Tartaros inductus quibus adminiculis abſterſus? 297
Quomodo redacti in ordinem Cumani? 301
Quo jure Stiriæ poſſeſſionem adiere Hungari? 302
Quibus artibus inde ejecti? 303
Unde BELAM inter Regem & filium STEPHANUM odia? 304
Quomodo reſtincta? 307
Quo loco res in Bulgaria, Bosnia, & Dalmatia? 309
Quam inſignis de Tartaris relata victoria? 310

Quæ

Quæ merita Regis in Eccleſiam? - Pag. 311

Quis exitus BELÆ? - 313

STEPHANUS V. REX XXI. 315

Quibus de cauſis, quove ſucceſſu inſtauratum cum Ottocaro bellum? - - - Ibid.

Quibus ſolutum conditionibus? - - 316

Quam poſt ſe moriens reliquit memoriam? - 318

LADISLAUS IV. REX XXII. 319

Qua ætate Regnum adiit? - - - Ibid.

Quam glorioſe res acta in Ottocarum? - 320

Quibus viis depravati Regis mores? - 322

Quanto reipublicæ detrimento? - - 323

Quibus artibus ad frugem aliquantum revocatus? 325

Cur Cuſtodiæ à ſuis traditus? - 329

Quid exinde cum Cumanis negotii? - - Ibid.

Quid a Tartaris periculi? - - 331

Quomodo diminuta Regni Hungarici potentia? 332

Quam enorme crimen in fratrem ANDREAM Sclavoniæ Ducem admiſſum? - 334

Quam infelici exitu vitam clauſit LADISLAUS? 336

ANDREAS III. REX XXIII. 340

Jurene Regni Hungarici ſceptro potitus? - Ibid.

Quos continuo expertus æmulos? - - 341

Qua ratione ab Alberto Auſtriaco liberatus? 342

Quo ſucceſſu res acta in Carolum Martellum? PAG. 342
Quam inania ANDREÆ adverſus Carolum Robertum ſtudia? - - - 343
Quis vitæ exitus? - 345
Exſtincta virili Arpadi ſtirpe, quis Hungariæ ſtatus? - - - 346

FINIS.

QUÆSTIONUM PARTIS PRIMÆ.

BIBL. CENTR. UNIV. CLUJ. Nr. 7853/1961
7853

Stanford University Libraries
3 6105 013 433 938
DB
924
P3
1775
V.1
Stanford University Libraries
Stanford, California
Return this book on or before date due.